præſciendum, quod monaſterium fontis Ebraldi nomen A duxit à fonte loci, in quo ſitum eſt. Ferunt enim Ebraldum quendam juvenem, genere nobilem, ſed moribus corruptis, magna ſicariorum manu ſtipatum, adjacentes vias regias latrociniis olim infeſtaſſe, ſilvaſque tunc temporis frequentes inſediſſe, quarum hodièque reliquiæ manent non parvæ. Poſt hæc Theologum quendam Pariſienſem, eximiæ doctrinæ virum, divinique verbi concionatorem inſignem, Robertum de Abruſcellis nomine, eò adventaſſe, ſanctiſque exhortationibus ſuis non modò juvenem illum, ut mores, vitamque mutaret, impuliſſe, ſed multos præterea omnium generum homines, ad deſpiciendam ſæculi vanitatem, auſteriorisque vitæ leges ſubeundas, permoviſſe, ad quorum habitationem diſtincta iiſdem in ſeptis monaſteria condidit, ſua ſeorſum viris, virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis ædificando. Univerſæ porrò Congregationi Abbatiſſam præpoſuiſſe, quæ in omnes tum viros, tum fœminas jus ſummum obtineret, ſtatuens ut viri S. Joannis Evangeliſtæ exemplo, virginibus, ſeu mulieribus parerent, & hæ viciſſim B. Virginis exemplum ſequentes, religioſos tanquam filios amplecterentur. Statuta denique, & Conſtitutiones, pro utriſque B ſeparatim præſcripſit.

Cùm ergo ad hunc modum rectè inſtitutum fuiſſet monaſterium fontis Ebraldi. Reges & Principes, cæterique Dynaſtæ, magna mox veneratione illud proſequi, & diverſa ei bona largiri cœperunt: nonnulli etiam hujus congregationis Conventus in ſuis terris expetierunt; ita ut ex omnibus illis Conventibus conſtitutus fuerit Ordo, cujus caput eſſet idem monaſterium Fontis Ebraldi: quem quidem authenticis bullis multi Pontifices aaprobarunt, docentes Ordinem hunc ab illis verbis Chriſti: Ecce filius tuus, Ecce mater tua, inſtitutionis ſuæ originem, rationemque petiiſſe.

Mortuum tradunt Robertum regulæ auctorem anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, & ſancto Bernardo familiarem fuiſſe. Statuiſſe autem, ut cùm Abbatiſſa, quam crearat, diem ſuum clauderet, ea illi ſuccederet, quam Religioſæ ipſæ ſuis ſuffragiis elegiſſent. Quod ab illis ſemper obſervatum eſt, quamdiu electionum uſus in monaſteriis permanſit. Cæterùm, & quamdiu ſtetit eligendi poteſtas, & poſtquam auctoritate Pontificis conſtitui Abbatiſſæ cœperunt, optimas ſemper, eaſque memorabiles Abbatiſſas ſortitæ ſunt vitæ integritate, C ac ſanctitate, quàm genere illuſtriores: tametſi pleræque Regum, & Principum, aut nobiliſſimorum certè Equitum filiæ fuerint. Inter quas eluxerunt Mathildis Comitis Andegavenſium filia, Guilielmi vidua, Henrici primi Anglorum Regis filia, Mathildis altera filia Theodorici Comitis Flandriæ, vidua item Ducis Burgundiæ; Aloyſia, Ludovici junioris Francorum Regis filia: Joanna de Brenna, neptis Roberti filii Ludovici Craſſi Francorum Regis; Elizabetha ſoror Philippi Valeſii Regis; Maria de Britannia, Aurelianenſis, & Britanniæ Ducum neptis: Anna Aurelianenſis, Ludovici XII. Regis ſoror, Renata Borbonia, filia Joannis Comitis Vindocinenſis; Ludovica Borbonia, ſoror primi Ducis Vindocinenſis, & Eleonora Borbonia, ejuſdem Ducis, & Franciſcæ Alenzoniæ filia, amita Henrici quarti Chriſtianiſſimi Regis Francorum, & Navarræ: quæ monaſterium, in quo ducentæ præter cæteros Religioſos Deo dicatæ moniales numerantur, ordinemque univerſum moderatur, magna pietatis, prudentiæ ſanctitatiſque apud omnes opinione.

Obſervandum eſt, Mariæ Britanniæ Abbatiſſæ temporibus, ipſa procurante, factam fuiſſe Ordinis reformationem D juxta Regulam S. Benedicti, & ſtatuta Roberti inſtitutoris; Xyſti IV. Pontificis Maximi auctoritate, qui Archiepiſcopos Lugdunenſem, & Bituricenſem delegavit, ad eandem reformationem exequendam, quæ nunc etiam in Fontis Ebraldi monaſterio, Prioratibuſque circiter ſexaginta, qui ab illo pendent, ſtudiosè obſervatur. Extat Epiſtola D. Bernardi ad Epiſcopum Andegavenſem, de querela inter ipſum, & Abbatiſſam Fontis Everardi: ubi legendum Ebraldi. De hoc enim loquitur monaſterio, quod in diœceſi quidem Pictavienſi poſitum eſt, ſed contiguos cum Andegavenſi fines habet.

Sed & Petrus Venerabilis, Cluniacenſis Abbas, ejuſdem Roberti, meminit magno præconio, utpotè qui fuerit inſtitutor matris ſuæ Ramgardæ in vita ſpirituali, quæ viro defuncto profeſſa eſt monaſticam regulam in Marciniacenſi monaſterio. Cujus res præclarè geſtas poſt ejus obitum ipſe epitaphio eſt proſecutus, ubi pariter corruptè legitur, monaſterium ad Fontem Ebrandi, loco Ebraldi. Meminit & ibidem de ejuſdem Roberti ex hac vita deceſſu. *Ita Baronius tomo XII. Annalium*.

E Cæterùm Fons Ebraldi tertio lapide diſtat à Saumurio oppido. Complectitur autem hoc monaſterium, itemque ordo monachos, & moniales ſub regula S. Benedicti militantes, ſed diſtinctis in Clauſtris habitantes.

In fonte Ebraldi, intra unius velut oppidi ambitum, ſunt quatuor monaſteria, tria monialium, quæ ſunt circiter ducentæ, & unum monachorum, qui ſunt circiter quadraginta, & ſuum habent Priorem: Abbatiſſa autem, quæ omnibus imperat, ferè ſolet eſſe ex ſanguine regio.

Hujus Ordinis monaſteria in univerſum ſunt circiter ſexaginta: ex quibus nonnulla hodieque florent in Hiſpania, & nonnulla etiam in Anglia viguerunt. Altare majus cœnobii monachorum fontis Ebraldi ſitum eſt in confinibus diœceſis Pictavienſis, Turonenſis, & Andegavenſis. Hæc à R. P. Guilielmo Richerio, Abbate S. Vincentii Cenomanenſis fontis Ebraldi olim viſitatore, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo accepimus. In quæ *Aubertus Miræus, lib. 2. Orig. Monaſticarum*.

F

* Ordo Humiliatorum, per Sanctum Joannem Medam inſtitutus.

Ordo Humiliatorum ſub regula S. Benedicti cœpit circa annum milleſimum centeſimum nonageſimum ſextum. Henricus I. ad Imperii faſtigium evectus, grave bellum Mediolanenſibus intulit, & urbe ſolo adæquata, Senatorii ordinis cives, & nobiliſſimos quoſque viros in Germaniam ablegavit. Porrò exules albis induti veſtibus, ſæpius Cæſarem genuflexo ſupplices rogaverunt, ut in patriam redeundi liberam ipſis facultatem concederet, quod cùm demum impetraſſent, nobiliſſimi viri plurimi eodem amictu veſtiti, ſumma pietate accenſi, Deo Mediolani ſeſe votis obligarunt; nec ullam rem publicam, aut privatam attingentes, ubi religioni diligenter ſtudentes, & victum ſuis manibus quærentes, vitam ſanctè, & religiosè traduxerunt. Eorum Congregationem, nomine Humiliatorum Innocent. III. auctoritate Apoſtolica anno 1200. confirmavit. Sed totum ordinem Pius V. delevit, & annuos ejus proventus in alios uſus deſtinavit. Nam quidam ejus ordinis monachi, conjurati in S. Caroli Borromæi Car- G dinalis, & Archiep. Mediolanenſis necem, ob nefarium ſcelus condemnati ſunt, & anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, auctoritate Pontificia, extinctus eſt ordo, cujus Præpoſituræ erant nonaginta quatuor, quarum annui proventus triginta millium aureorum ſummam efficiebant. Porrò in toto ordine monachi erant centum ſeptuaginta quatuor, quos ex ipſis facultatibus, diſtributis in victum monaſticum, ſuſtentari Pontifex juſſit, & in religioſa diſciplina Epiſcoporum cura contineri.

Locum porrò, in quo ſanctus Joannes vixit apud Comum poſt extinctum ordinem Humiliatorum, Clerici Somaſchenſes hodie tenent: ut tradit *Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ*. Vocatur is, niſi fallor, Rondinetum, primaria olim Ordinis, ſedes, in diœceſi Comenſi.

* Ordo Gilbertinorum in Anglia.

Gilbertinorum Ordo, utriuſque ſexus, in Anglia, per Beatum Gilbertinum Sempingamum, natione Anglum, in Epiſcopatu Lincolnienſi anno 1148. eſt inſtitutus, & ab Eugenio III. H approbatus. De quo *vide Guil. Neubrigenſem l. 1. cap. 16. & Vvionum in Ligno vitæ l. 3. die 4. Februarii*.

Ordo Montis Virginis, per S. Guilielmum Vercellenſem inſtitutus.

Guilielmus Vercellis natus honeſto loco, orbatus parentibus, annum 14. agens, relicto ſæculo, vitam ſolitariam aggreditur, ac ferro interiùs accinctus, unica, & humili veſte indutus, ſolo pane, & aqua contentus, humi cubans, cùm aliquamdiu peregrinatus loca ſancta celebriora viſitaſſet, Melphim in Apuliam pervenit: ubi litteras brevi divinitus ita didicit, ut in veteri, & nova lege verſatiſſimus videretur. Melphi in proximum oppidum recedens juxta mentem Solicolum cœlo lumen reſtituit. Quo miraculo ut nominis celebritatem vitaret, ſe ad peregrinationem Hieroſolymitanam accingit. Cùm in Salentinos apud Uriam veniſſet, à Joanne eremita,

eremita, ut ſecum habitaret, ſummoperè rogatus, cum ac- A quieſcere nollet, à latronibus malè habitus, ad illum redire cogitur. Igitur divino admonitu Atripaltam, deinde Salernum venit: ubi à milite loricam ferream, qua ſuper carne nuda indutus eſt, impetravit: ut adversùs carnis, & Dæmonis tentationes munitior eſſet, ſicque ad montem Virginis perrexit, ubi eremitam invenit nomine Joannem, cum quo degens, cùm aquæ inopia laborarent, fontem è ſaxo manantem divinitùs reperit. Ibi oratorio, & tuguriolis extructis, ordinis ſui fundamenta jecit, alumnis in dies ad eum confluentibus, & templi aggreſſus eſt ædificationem, brachio, quod obriguerat, uni ex ædificatoribus reſtituto, ubi mirum aliud contigit. Habebat aſellum ex proximo nemore quotidie ligna ferentem: quem cùm lupus devoraſſet, is Guilielmi præceptis parens officium aſelli non ſine maxima omnium admiratione complevit. Extructo itaque monaſterio, illique ſub S. Benedicti regula Alberto Abbate præfecto, ad ſolitudinem apud Trifaricum, in monte cum Joanne eremita rediit: ubi à Roberto Guiſcardo, Apuliæ Comite, inviſitur, cujus pædagogus de Sancto Guilielmo oblocutus, divinam protinus ultionem expertus eſt; cruribus ſibi putrefactis, ex quo morbo brevi miſerè interiit. Quidam etiam pagi proxi- B mi venator, cùm baculo inter venandum Guilielmi caput verberaſſet, à dæmone repentè arreptus agitabatur, donec precibus ipſius Guilielmi, à domino ejus pagi enixè rogati (qui poſteà in eo loco cœnobium conſtruxit) liberaretur. Inde per viſum admonitus, inter Nuſcum, & fanum Angeli venit, ibique Eccleſia S. Salvatori, cum ampliſſimo cœnobio, à domino loci extructa, Anatum, qui poſteà Nuſcanus Epiſcopus fuit, & Joannem, cives Nuſcanos, diſcipulos habuit præcipuos. Ibi puellam hortulani filiam cæcam ad lumen redire fecit, & apud Dinettum caſtrum Apuliæ Peucetiæ, cùm monaſterii extructoribus vinum defeciſſet, in illud aquam convertit. Cùm ad virum Dei Rogerius Siciliæ Rex veniſſet, eumque maximo in honore haberet; meretrix impudentiſſima Guilielmum hypocritam aſſerens, Regi ſe illum ſequenti nocte ad peccatum pertracturam pollicebatur. Ad Guilielmi itaque cellam veniens, ad libidinem illum provocabat; cui is aſſentiri ſimulans cellam aperuit, in qua carbones erant accenſi. Cùm illa lectum peteret, vir ſanctus carbones manibus in duo diviſit, cumque ſuper una eorum parte decubuiſſet, illam ut in altera cubaret, invitavit. Quo miracu- C lo cum ſanctum virum ſuper accenſis carbonibus jacentem haud comburi cerneret, impudica mulier perterrita, cum, quod contigerat, Regi narraſſet, convertitur, ac in monaſterio Venuſiæ à Rege ædificato vitam pœnitens egit. Inde à Rege Panormo invitatus, ibidem impenſis Regis monaſterium ſui ordinis extruxit. Reverſus ad cœnobium S. Salvatoris, finem ſibi adeſſe præſentiens, piis laboribus confectus, VII. Kal. Julii anno poſt Chriſtum natum 1142. ætatis verò 57. obdormivit in Domino, Innocentio ſecundo Pontifice Maximo, multis etiam poſt mortem miraculis clarus. Ita *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Paulo Regio, lib. de SS. Regni Neapolitani*. Corpus porrò S. Guilielmi adſervatur in dicto S. Salvatoris cœnobio, apud Nuſcum Apuliæ urbem, in quo diem obiit; Romano Martyrologio adſcriptus 25. Junii. *Vide Arn. Vvionum l. 1. Ligni vitæ c. 51. itemque Felicem Rendam in vita S. Guilielmi*.

Generalis Præfectus Ordinis eſt triennalis, & præeſt monaſteriis circiter quadraginta ſeptem.

D

* Ordo Eremitarum S. Guilielmi, ſeu Guilielmitarum.

☞ *Vide ſupra ſub Ordine S. Auguſtini*.

Ordinis hujus caput, ac ſedes primaria olim fuit Stabulum Rhodis, quod eſt monaſterium apud Roſetum, ſeu Groſſetum ditionis Senenſis oppidum, loco olim deſerto ſitum: in quo ejuſdem Ordinis comitia, ſeu capitula generalia quondam celebrari plerumque ſolebant. In dicto Stabulo Rhodis ſanct. Guilielmus, Aquitaniæ Dux, & Pictonum Comes, peractis variis peregrinationibus ſacris, cùm ab hominum conſortio totum ſe ſubduxiſſet, ordinem ſuum Eremiticum fundavit: quem poſteà B. Albertus diſcipulus, & comes individuus, quique in ſæculo (ut ſcribit Dochetus Aquitanorum Chronographus) illi à ſecretis fuerat, & Reinaldus ex medico monachus, aliique mirificè propagarunt. Militaſſe autem hunc ordinem à multis retrò ſæculis ſub regula ſancti Benedicti, ex variorum Pontificum, ut Innocentii IV. Alexandri IV. Urbani IV. & aliorum diplomatibus probat *Sampſon Hajus, Guilielmita Pariſienſis, in ſuo libro de veritate vitæ, & Ordinis* E *S. Guilielmi*, Pariſiis anno 1588. edito.

Extant Diplomata Innocentii IV. Alexandri IV. & Urbani IV. Pontificum Romanorum conceſſa in favorem Guilielmitarum apud *Aub. Miræum l. 2. c. 15. originum Monaſticarum*: ubi & vitam fundatoris S. Guilielmi Aquitaniæ Ducis ſecundum ſeriem annorum deſcriptam reperies.

Obiit S. Guilielmus in Stabulo Rhodis, quod hodie Malavallis, in ditione Senenſi, nuncupatur. Quo in loco extat hodieque vetus Baſilica, ac monaſterium, ibique venerabile ſepulchrum oſtenditur, in quo ſacrum ejus corpus conditum fuit. Pars autem corporis ejus poſtmodum translata eſt Caſtellionem, quod oppidum tribus inde milliaribus diſtat, ibique in Baſilica ſancti Joannis Baptiſtæ reverenter adſervatur. Eſt verò hodieque in Stabulo Rhodis monaſterium inſigne fratrum Auguſtinianorum, ut *Baronius* teſtatur *in Notis ad Martyrologium Rom. X. Februarii*.

Pars item reliquiarum S. Guilielmi viſitur Antuerpiæ in Domo Profeſſa Societatis Jeſu, argenteæ thecæ incluſa.

Porrò S. Guilielmum in numerum Sanctorum anno CIↃ.CC. II. retulit Gregorius IX. Pont. Maximus. F

Catalogus Monaſteriorum Ord. ſanct. Guilielmi per Provinciam Franciæ, & Galliæ Belgicæ.

Porta cœli, extra Silvam Ducis inchoata eſt ann. 1245. aut circiter. Hodie monachi intra urbem habitant, & vulgò Baſelduncani nuncupantur.

Domus de Vvaſſina juxta *Biervliet* inchoata anno 1249. quæ poſt ſubmerſa cum plurimis plagis an. 1376. translata eſt Burgas 1430. & *Vallis S. Antonii* dicta. Fundatrix in Biervliet fuit Margarita Flandriæ Comitiſſa.

Domus de *Barnaphaii*, in Arduenna ſilva, inchoata anno 1249.

Domus *Fratrum Mariæ* dicta, anno eodem 1249. inchoata.

Domus Paradiſi juxta Duram, ditionis Juliacenſis oppidum, inchoata anno eodem 1249.

Domus de *Vvallencuria* inchoata anno 1255. in Comitatu Namurcenſi.

Domus de *Novaterra* anno 1291. inchoata, poſt bellis de- G ſtructa, in Oduzeele translata eſt anno 1457. deinde in Peere anno 1498. & intitulatur *Nazareth*.

Domus *Montis Rubei* extra Pariſios fundata an. 1266. poſt translata eſt Pariſios 1297. in locum Alborum, ut vocant, Mantellorum.

Domus *S. Urſmari* extra Aloſum Flandriæ oppidum inchoata 1268. poſteà per bella deſtructa, in oppidum translata eſt anno 1380.

Domus *S. Catharinæ*, extra Nivellam Brabantiæ oppidum, inchoata anno 1270.

Domus *de Heburgis*, juxta Bergas ad Zomam in Brabantia, in choata anno 1277.

Domus *de Motta* extra Leodium, inchoata 1280.

Domus *Paludis Comitis* inchoata 1281.

Domus *SS. Trinitatis*, in Beveris Vvaſianæ ditionis municipio, ſecundo ab Antuerpia milliari, inchoata ann. 1459. Hactenus ex Catalogo Beverenſi.

Habuerunt olim Guilielmitæ varia quoque monaſteria per H Germaniam, ut Argentorati, & in diœceſi Conſtantienſi, Spirenſi, & aliis.

De Baſelduncano apud Silviducenſes monaſterio in Brabantia.

Guilielmitas ſuos vulgus Silviducenſe nuncupant Baſelduncanos, à prædio ſuburbano, in quo monaſterium eorum primum ſtetit. Quod cum bello Geldrogallico, temporibus Martini Roſſemii vaſtatum eſſet, inde ad urbem ipſam commigrarunt, in qua ſpatioſum hodie cœnobium poſſident.

Pariſienſe Monaſterium.

Fuit id olim cœnobium ordinis Servorum B. Mariæ, qui ſub regula S. Auguſtini militantes ex diœceſi Maſſilienſi Lutetiam venerant, & eo loci anno 1258. capellam cum cœmeterio extruxerant. Ordine iſto abrogato in Synodo Lugdunenſi, quæ ſub Gregorio X. eſt habita, dictum Servitarum cœnobium à Bonifacio VIII. anno 1297 datum eſt Guilielmitis, qui ex Monte Rubeo, Pariſiorum nunc vico, ſedem eò mox tranſtu-

tranſtulerunt, Philippo Pulchro Rege Galliæ approbante an. 1298. ut tradit *Sampſon Hajus lib. citato.* Monaſterio nomen manſit Alborum Mantellorum, à Servitis, illius olim loci incoli, qui albis penulis uti ſolebant. In monte Rubeo hodieque extat ſepulchrum Renerii, qui cùm eſſet Prior Generalis Guilielmitarum, hanc novam in urbe Pariſienſi ſedem procuravit, & anno 1298. obiit.

Brugense Monasterium, cui Nomen Vallis S. Antonii.

Stetit hoc monaſterium primò in Vvaſtina, apud Bierulitum Flandriæ oppidum: quod cùm fluctus Oceani anno 1376. aut 1377. obruiſſent, Vaſtinenſes religioſi tandem Burgenſi in urbe locum ædificando monaſterio obtinuerunt. De hujus monaſterii origine, ac translatione ita ſcriptum in codice quodam reperi: Anno Domini CIↃ. CC. XLII. conventus de Vvaſtina inter Bierulier, & Bochoure fundatus, & dotatus eſt per Margaritam Comitiſſam Flandriæ.

Idem conventus ſubmergitur cum XVII. parochiis anno 1377.

Anno 1429. à Georgio Gremme cive Brugenſi locus Brugenſis domus donatur, & anno ſequenti Capella vetus cum quatuor altaribus conſecratur, dedicaturque.

Alostanum S. Ursmari Monasterium, in Flandria.

Sanctum Urſmarum Epiſcopum Abbatem Laubienſem, Aldenburgi, & vicino in tractu Flandriæ Evangelium prædicaſſe, conſtat ex *vitæ ejus hiſtoria*, ab *Anſone Abbate Laubienſi* primùm conſcripta, atque Ratherio Veronenſi Epiſcopo poſtmodum emendata. Eam *Laurentius Surius* edidit, non tamen integram, utpote qui illam S. Urſmari in Flandria prædicationem omiſit.

Tradunt porrò, S. Urſmarum haud longè ab Aloſo tugurium habuiſſe, quod in monaſterium, ut veriſimile eſt, Benedictinorum poſteà excrevit, Sed à Normannis Belgicam vaſtantibus exuſtum diù jacuit.

Poſt inſtauratum, & monachis ordinis S. Guilielmi eſt traditum; quod intra oppidi mœnia ſitum ipſi hodieque poſſident.

De his rebus ſic *Arnoldus Mermannius Aloſtanus, in Theatro converſionis gentium totius Orbis:* Aloſtanus Comitatus, ditiſſimus agri (habet enim ſub ſe civitates tres, pagos vaſtiſſimos, opulentiſſimoſque CLXXII. adeòque ipſi Cameraco jura dicit, alioqui Imperiali, & liberæ civitati, immò quam ſibi hoc tantùm titulo aſſeruit Carolus Quintus Auguſtus, quòd Aloſto principaretur) Evangelii præconem, cum primis S. Amandum, deinde ejus in fide alumnum S. Urſmarum habuit, anno & quod excurrit IↃ. CLXVIII. Juſtiniano Imperatore, Leone III. Pontifice Maximo. Habebat ſacram caſulam, & tugurium ad mœnia S. Urſmarus, ubi poſteà cœnobium S. Urſmari initio, deinde S. Guilielmi eſt nuncupatum: id quod à Normannis item exuſtum, dirutumque fuit, & intra muros demum tranſpoſitum: ut in archiviis ejus cœnobii me legere memini. Hactenus *Mermannius.*

Vide Auctarium Surianum Aub. Miræi.

Ordo Silvestrinorum, per Beatum Silveſtrum Groſolinum fundatus.

Ordo Silveſtrinorum ſub regula S. Benedicti, inſtitutus eſt à B. Silveſtro, qui fuit monachus Vallis Umbroſæ. Initium habuit anno Domini 1232. & confirmatus eſt ab Innocentio IV. anno 1258. Olim hic ordo dicitur fuiſſe ſubjectus ordini Vallis-Umbroſæ: nunc gubernatur cura unius generalis Præpoſiti, qui olim ſolebat eſſe perpetuus, ſed nunc triennalis eſt. Viget hic ordo potiſſimum in Marca Anconitana, Umbaria, & Tuſcia, dicitur habere monaſteria 25. in quibus habitant monachi circiter treçenti. Ita tradit *Azores in ſuis Inſtitutionibus Moralibus.*

Ordo initium ſumpſit in Monte Fano, tertio lapide ab urbe Roma; ſi modò novus Ordo dicendus ſit, & non potiùs congregatio reformata, ſub inſtituto Vallis-Umbroſæ.

* Ordo Coelestinorum a S. Petro Cœleſtino inſtitutus.

Petrus cognomento Moronenſis (ſic à Morono monte, in quo vitam aſperam duxit, appellatus) patria Æſerninus vitam anachoreticam in ſumma auſteritate apud Sulmonem ducens, famaque ſanctitatis fulgens, cùm ordinem Cœleſtinorum inſtituiſſet à Greg. X. approbatum, abſens Peruſiæ à Cardinalibus, opera Caroli Regis Neapolitani, & Latini Cardinalis, Pontifex poſt Nicolaum IV. anno ſalutis milleſimo duodecimo nonageſimo quarto eligitur, ac Cœleſtinus V. appellatur. Qui Aquilæ maximo hominum concurſu (200. ſiquidem millia Aquilam, ut eremitam Pontificem factum cernerent, tradunt conveniſſe) conſecratus, duodecim Cardinales creavit, vitamque priſtinam quoad vigilias, jejunia, & orationes retinebat, Latini Cardinalis præcipuè opera in adminiſtrando Pontificatu uſus. Erat autem in omnes ita humanus, benignus, & facilis, ut mortuo Latino, à nonnullis Cardinalibus; maximè verò à Benedicto Cajetano, ut ſe illo abdicaret, ne Eccleſia ſui cauſa detrimentum pateretur, facilè ipſi perſuaderetur: Quare Cæleſtinus onus humeris ſuis impar eſſe dicens, Neapoli collegio Cardinalium coacto, ſexto menſe Pontificatum, Carolo Rege, & aliis reluctantibus, depoſuit, eremumque repetiit. Interim Benedictus Cajetanus Pontifex creatus, & Bonifacius VIII. dictus, ne Petrus ad ſedem ab æmulis Cardinalibus, & Principibus, quibus factum improbabatur, revocaretur, illum in itinere captum, in caſtro Fumonis apud Ferentinum juſſit cuſtodiri: Ubi poſt ſeptemdecim menſes ceſſit è vita. Quem miraculis clarum Clemens V. Pontifex Maximus Avenione 5. Nonas Maii anno ſalutis milleſimo trecenteſimo decimo nono Sanctorum numero adſcripſit. Corpus primùm ex Cœleſtinorum monaſterio Ferentinum delatum eſt: inde clam ſublatum Aquilam deductum fuit, ubi S. Petrus an. ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo, die 11. & 12. Junii Pontificali habitu indutus, valdeque refulgens ſupra templum S. Mariæ (in quo corpus aſſervatur) cùm horæ veſpertinæ decantarentur, apparuiſſe, urbique benedixiſſe traditur: ut narrat *Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ*, eſt autem Aquila urbs regni Neapolitani, ad Ducem Parmenſem pertinens.

Vitam Sancti Petri Cœleſtini ſcripſere *Petrus Aliacus* Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis, itemque *Paulus Regius*, & alii.

Extat S. Cœleſtini elogium apud *Petrarcham lib. 2. de vita ſolitaria*: Papatum, inquit, quod nihil eſt altius, quis ulla ætate, præſertim ex quo tanto in pretio eſſe cœpit, tam mirabili, & excelſo animo contempſit, quam Cœleſtinus ille, priſtinum & nomen, & locum, & amicam bonis moribus egeſtatem appetens? Audivi narrantes, qui viderant, tanto illum fugiſſe cum gaudio, eaque ſigna lætitiæ ſpiritualis oculis, ac fronte geſtantem, dum à conſpectu Concilii jam tandem ſibi redditus, ac liber abſcederet, quaſi non humerum blando oneri, ſed collum diris ſecuribus ſubduxiſſet.

Coelestinorum Monasteria in Provincia Franciæ.

S. Mariæ Pariſienſe conditum an. 1352.

Sanct. Mariæ Ambertinenſe, ſive de Amberto, anno 1300.

Sancti Petri de Caſtris, ſive monaſterium Caſtrorum, conditum eſt à Philippo IV. Rege Galliæ, in monte Caſtrorum ex Prioratu, quem à S. Criſpini Abbate Sueſſionenſi acquiſierat.

Sanctæ Mariæ Ternenſe, ſive de Ternis, anno 1338. fundatum à Rogerio Aurelianenſi, poſteà Lemovicenſi, ac demum Bituricenſi Antiſtite.

Gentilinenſe, ſive de Gentilino monaſterium S. Martiali ſacrum, conditum eſt anno 1356. ab Hannibalbo de Secano.

S. Mariæ Columberienſe an. 1361. per Bertrandum Eccleſiæ S. Quintini in Veromanduis Decanum.

B. Virginis Mariæ Senonenſe an. 1366. de quo fusè Coppinus l. 1. legum Andegavenſium c. 1.

S. Trinitatis ad Meduntam oppidum ann. 1376. fundatum per Carolum D. Regem.

S. Petri Avenionenſe an. 1393.

S. Antonii Ambianenſe ann. 1401. fundatum à Carolo VI. Rege.

S. Mariæ Metenſe an. 1402. in Lotharingia.

S. Trinitatis Villanovanum apud Sueſſiones an. 1404.

S. Crucis apud Offremontem vicum in valle Frigida anno 1405.

no 1405. fundatum per Joannem de Neſle dominum de Offremonte, & Margaritam de Mellou conjuges.

SS. Trinitatis Marcouſſiaſenſe an. 1408. fundatum per Joannem de Monte acuto.

SS. Trinitatis Vichiacenſe 1411. per Ludovicum III. Bojorum Ducem.

S. Mariæ Lugdunenſe anno 1421. fundatum per Amadeum VIII. Sabaudiæ Ducem ejuſque filium Ludovicum cum ampla dote, ut teſtatur *Paradinus l. 3. c. 7. Chron. Sabaudiæ.*

S. Mariæ Hevetenſe apud Lovanium in Brabantia anno 1521. fundatum opibus Guilielmi Croii, Toparchæ Cervienſis; cujus ibidem tumulus magnificus ſpectatur cum aliis aliquot Ducum Arſchotanorum ex gente Croiia.

S. Mariæ Rothomagenſe an. 1445. per Carolum Regem Franciæ fundatum.

S. Catharinæ de Villario Salleti anno 1460.

S. Mariæ Eclimotenſe anno 1447. fundatum per Stephanum Rouchier tunc Bajocenſem, poſt Turonenſem Archiepiſcopum. Ita *Chopinus lib. 2. Monaſticorum titul. 2. artic. 14.*

* Ordo Montis Oliveti, per B. Bernardum Senenſem, cognomento Ptolomæum, inſtitutus anno 1320.

Bernardum, antè Joannes, Senis ex nobili Ptolomæa familia natus, à prima ætate literis humanioribus, deinde legibus operam dedit: quas & publicè factus Doctor ſumma cum laude eſt interpretatus. Cùm autem publicam habiturus diſputationem in Academia Senenſi in gravem oculorum ægritudinem incidiſſet. SS. Virginem precatus eſt, ut ſibi lumen, & priſtinam oculorum ſanitatem reſtitueret, ſeipſius famulatui relicto ſæculo, perpetuò ſe addicturum pollicitus. Qui mox compos voti factus, loco lectionis, ac diſputationis, gravem habuit de ſæculi hujus contemptu concionem, in maxima auditorum, quibus, quæ ſibi accidiſſent, narravit frequentia. Nec mora, promiſſionis ſuæ memor rudi amictu indutus, urbeque egreſſus in Montem Olivetum apud Montem Ilcinum contulit: quem Patricius ex Patricia familia, & Ambroſius Picolomineus, ambo nobiles Senenſes, eodem propoſito ſecuti ſunt. Ibi ædicula, celluliſque extructis, ordinis fundamenta jecit, facultatibus ſuis ei dicatis, aſperamque cœpit in jejuniis, vigiliis, & orationibus vitam ducere; viditque inter orandum ſcalam ad cœlos uſque pertingentem, Angeloſque deſcendentes monachos albi veſtitus per ſcalam ad ipſum Angelorum Regem, ejuſque Genitricem candido amictu fulgentes deducere conſpexit. Cùm autem multi in dies ad eum diſcipuli confluerent, ecce SS. viros æmuli quidam quaſi hæreticos apud Joannem XXI. Pontificem Maximum Avenione agentem deſerunt, qui eos ad ſe extemplò acceſſivit. Cùm verò Pontifex ab iis, quos Bernardus miſerat, omnem vitæ eorum rationem intellexiſſet; illos tanquam innocentes ad Guidonem Epiſcopum Aretinum, in cujus diœceſi erat locus (qui eis regulam præſcriberet, approbaretque ſodalitatem) remiſit. Epiſcopus itaque, cùm ſibi ſanctiſſima Deipara in ſomnis albis induta veſtibus apparuiſſet, recentemque congregationem commendaſſet, illos inter Miſſarum ſolemnia in Eccleſia Cathedrali habitu candido, ſolemni adhibita benedictione, die 21. Martii anno ſalutis 1319. induit, eiſque Divi Benedicti Abbatis regulam ſervandam præſcripſit, congregationique S. Mariæ Montis Oliveti, & Joanni nomen Bernardi indidit. Reverſi ad propria Patricium, Bernardo primatum detrectante, primum congregationis Olivetanæ Abbatem elegerunt: quo defuncto in Domino, Ambroſium, eoque ex humanis ſublato, Simonem tertio loco ſubrogarunt Senenſem. Sed & illo ſanctè defuncto, Bernardus regimen invitus capeſſere cogitur anno ſalutis 1322. Qui nihilominus nihil de vitæ ſuæ aſperitate remiſit aſſiduis orationibus, vigiliis, meditationibus, jejuniis, aliiſque carnis macerationibus intentus. Sub eo multis in locis extructis cœnobiis ſodalitas propagata eſt.

Denique Bernardus ubi ſui ordinis confirmationem ab eodem Pontifice, Avenionem profectus, obtinuiſſet: annoſque 27. ei optimis legibus communito præfuiſſet, Senis, dum ſuis monachis peſtilentia, quæ tunc graſſabatur in ea urbe, infectis, propriis manibus inſerviret, & ipſe percuſſus peſte, ſpiritum Deo reddidit anno ſalutis 1348. XI. Kalend. Septembris. *Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Ital. ex Chronico Ordinis Montis-Oliveti.* Corpus B. Bernardi aſſervatur in Monte Oliveto magna cum veneratione.

Hujus inſtituti Sodales alba utuntur veſte, habentque Præpoſitum Generalem non niſi triennalem.

* Monachorum Ord. S. Benedicti Variæ Congregationes reformatæ.

Inter Congregationes varias monachorum Benedictinorum eminent Caſſinenſis apud Italos, Valliſoletana apud Hiſpanos, Caſalis Benedicti apud Francos, Oliſiponenſis apud Luſitanos, & Burſfeldenſis apud Germanos cum ſuperiores, tum inferiores.

Caſſinenſis congregatio, quæ & S. Juſtinæ de Padua dicitur, circa ann. 1408. aut 1410. per Ludovicum Bardum, ad S. Juſtinam in urbe Patavina Abbatem, ſumpſit exordium.

Vide Aub. Miræi Orig. Benedictinorum cap. 92.

Monasteria Reformatæ Congregationis Valliſoletanæ in Hiſpania, quæ in Belgium, & Lotharingiam ſuos palmites noſtro ævo emiſit.

S. Benedicti Realis Abbatia in urbe Valliſoletana, quæ eſt caput Congregationis.
S. Mariæ Montis Serrati
S. Mariæ Regalis de Nagera.
S. Martini in urbe Compoſtella, vulgò de **Santjago**.
S. Petri de Cardena.
S. Zoili de Carrion.
S. Dominici de Silos.
S. Petri de Eslonza.
S. Mariæ de Sopetram.
S. Mariæ Regalis Abbatia de Hirarcho, ſeu Hiracenſe monaſterium, in diœceſi Pompelonenſi.
S. Andreæ de Eſpinareda.
S. Joannis del Poiio.
S. Vincentii de Oviedo, ſeu monaſt. Ovetenſe.
S. Felicis de Guixoles.
S. Mariæ de Ovarenes.
Gelorii, & S. Antolini.
S. Benedicti de Zamora.
S. Vincentii de Monfort.
S. Mariæ de Eſpino.
S. Mariæ de Obona.
S. Petri de Tenorio.
S. Salvatoris de Ova.
S. Joannis de Burgos, ſeu monaſterium Burgenſe.
S. Æmiliani Cucullati, vulgò de la Cogolla.
S. Salvatoris de Cella nova.
S. Petri de Arlanza.
S. Claudii Legionenſe monaſterium.
S. Juliani de Samos.
S. Stephani de Rivos del Sil.
S. Iſidori de Duennas.
S. Mariæ de Valvanera.
S. Petri de Montes.
S. Joannis de Corias.
S. Vincentii monaſt. Salmanticenſe.
S. Salvatori de Lorenſana.
S. Benedicti monaſt. Hiſpalenſe.
Cornellana.
S. Mariæ de Tromeſta.
S. Mariæ del Bueſco.
S. Salvatoris de Lerez.
S. Patri de Villa-nova.

Sunt inſuper hujus congregationis Valliſoletanæ plura alia monaſteria minora, quorum Abbates non ſunt Capitulares.

Cæterùm ann. 1598. Auguſtinus, natione Anglus, in monaſterio S. Martini Compoſtellani veſtem monaſticam ſuſcepit. In eodem monaſterio poſt aliquot menſes quinque alii Angli facti ſunt monachi.

Anno 1602. idem Auguſtinus cum aliis duobus monachis in Anglia à Superioribus miſſus eſt: in qua inſula annis tribus Catholicos inter latuit, verbo, & exemplo eoſdem inſtruens.

Idem

Item poſteà à Superioribus miſſus eſt in Belgium, & A monaſterium inſigne excitandum curavit per R. P. Philippum Caverellum, Abbatem Vedaſtinum, in urbe, & Academia Duacena, & alterum Muſſiponti in Lotharingia, pro augmento miſſionis Anglicanæ, cujus quidam ipſe Vicarius generalis diù fuit. Multi inſuper Angli ab eo tempore in aliis Valliſoletanæ Congregationis monaſteriis monaſticen profeſſi ſunt, & deinde in Britanniam miſſi ad Catholicos juvandos. Ex quibus nonnulli pro fide Catholica martyrium ſubierunt, quorum oſſa deinde ex Anglia Duacum ſunt advecta.

Monaſterium porrò Duacenum à fundamentis ſuo ære excitavit, ut dixi, anno 1612. Philippus Caverellus Abbas Vedaſtinus, unà cum Collegio adjuncto, in quo omnes diſciplinæ explicantur.

In eadem urbe Duacena; anno 1604. à fundamentis extructum eſt monialium Benedictinarum pariter reformatarum cœnobium, quòd vulgò *Abbatia pacis*, nuncupatur.

Sic, & Bruxellis illuſtre cœnobium nobilium virginum Anglicarum, ſub regula S. Benedicti militantium, eſt excitatum, adjuvantibus Alberto, Iſabella *Clara, & Eugenia*, Sereniſſ. Belgarum Principibus.

B Cæterum Valliſoletani monaſterii circa annum 1380. conditor fuit Joannes I. Caſtellæ Rex, qui arcem veterem in cœnobii formam convertit, & anno 1390. obiit.

Dictæ congregationis reformatæ, quæ olim Valliſoletana, nunc Hiſpanienſis dicitur, primarius auctor circa annum 1520. extitit *Garſias Ciſnerus*, Montis Serrati Abbas.

Quæ quidem Congregatio vel ex nomine maximè laudanda eſt, quòd exemplo majorum ſuorum, veterum inquam Benedictinorum (poſt confectum in Academiis ſacrorum ſtudiorum curſum) ſuos ad ſacras conciones in templis habendas, populi confeſſiones excipiendas, aliaque munia Eccleſiaſtica obeunda ſeriò impendebat. Quod utinam noſtri per Belgium, Galliam, & Germaniam Benedictini, Eccleſiæ commodo, æmulentur.

Unionis, ſeu Congregationis Burſfeldenſis in Germania origo.

C Poſt Conſtantienſem in Germania Synodum celebratam, anno circiter ſalutis milleſimo quadringenteſimo viceſimo Unionis, ſeu Congregationis Burſfeldenſis Reformatio ſumpſit exordium. Hujus auctor fuit Joannes Rodius, Abbas cœnobii S. Mathiæ apud Treveros, qui Ordinis Benedictini per Germaniam generalis viſitator à Conſtantienſi Synodo conſtitutus, ſeipſum in primis, ac monaſterium ſuum reformavit, & decretorum à ſe editorum confirmationem à Romano Pontifice impetravit. Inter cætera verò Ordinis hujus monaſteria Burſfeldia; pauperculum Saxoniæ cœnobium, Reformationis iſtius decreta primum ſuſcepit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, & in Reinhauſenſe, aliaque vicina aliquot Saxoniæ monaſteria derivavit. Mortuo deinde Joanne Rodio, Joannes Hagenſis, Abbas Burſfeldenſis, qui in monaſteriis aliquot veterem diſciplinam jam inſtaurarat, agente *Jacobo* Treverenſi Archiepiſcopo, ſucceſſor illi datus eſt. Sed cùm nollet is pauperculum Burſfeldenſe ſuum cœnobium relinquere, alius in Rodii locum, ut generalis Reformator eſt ſuffectus, ſed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus iſtis in Germaniam venit *Nicolaus Cuſa-* D *nus*, Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, qui *Joannem Hagenſem* pietatis opinione celebrem ad ſe evocatum generalem Ordinis Reformatorem pronunciavit. Quo factum eſt, ut idem Cuſanus Conventum, ſeu Capitulum, ut vocant, annuum pro conſervatione Reformationis inſtitueret, Præſidis ſeu Præfecti domicilium è ſancti Mathiæ Treverenſis cœnobio Burſfeldiam transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porrò Burſfeldenſi Congregationi pleraque Germaniæ, ac Galliæ Belgicæ monaſteria ſeſe aggregarunt, ut ex ſequenti Catalogo patebit.

Monaſterium Congregationis Burſfeldenſis Catalogus, alphabeti ſerie digeſtus.

Abdinchoffenſe præclariſſimum monaſterium in Epiſcopali urbe Paderborna, loco amœniſſimo ſitum, & à Meynvverio, Epiſcopo Paderbornenſi ordine decimo, anno Chriſti 1015. fundatum eſt in honorem SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. Subdidit autem ſe hoc monaſterium ſacræ Unioni, ac E reformationi Burſfeldenſi, anno Domini 1477.

Affligemium, in Ducatu Brabantiæ, in honorem ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum fundatum, anno Domini 1083. ad Unionem acceſſit anno 1524.

Alpersbachenſe m. in Ducatu Vvirtembergenſi, Conſtantienſis diœceſis, in honorem ſancti Benedicti Abbatis fundatum, Unioni Burſfeldenſi ſe adjunxit anno 1482.

Altorfenſem in Epiſcopatu Argentinenſi, an. 1607. additum eſt Unioni Burſfeldenſi, auctoritate Caroli Cardinalis Lotharingiæ, ejuſdem loci Epiſcopi.

Ammeslebenſe m. in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi tribus milliaribus ab ipſa metropoli, in honorem ſanctorum Petri, & Pauli fundatum, Unioni Burſfeldenſi fuit incorporatum an. 1468.

Apri Monaſterium, in Argentinenſi Epiſcopatu ſitum, unitum eſt an. 1482. aut 1607.

S. Andreæ Monaſterium. Vide infrà Brugenſe.

Anrachenſe monaſterium vide in litera M.

Ballenteſtenſe monaſterium diœceſis Halberſtadienſis, in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ fundatum, Unionis F Burſfeldenſis membrum eſt factum an 1483.

Bambergenſe, vide infrà, Mons Monachorum.

Berga, in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, prope ipſam metropolim in monte, in honorem ſanct. Joannis Baptiſtæ fundatum, unionem, ac reformationem Burſfeldenſem ſuſcepit anno 1437.

Borgelenſe monaſterium ad unionem Burſfeldenſem admiſſum legitur anno 1510. Eſt autem Borgelen, ſive Burgelen oppidulum Thuringiæ ad Salam fluvium verſus Miſniam: cujus loci monaſterium hic deſignatur: ut eſt opinio.

Boſmarianum, in honorem B. Mariæ Virgin. fundatum, unioni fuit incorporatum an. 1468.

Brugenſe monaſterium in Flandriæ Comitatu, diœceſis ejuſdem, in honorem, S. Andreæ fundatum an. 1098. unioni Burſfeldenſi adſcriptum eſt anno 1516.

Boſchavia, ſive Poſſovia.

Breidenavvenſe m. in Haſſia, Moguntinenſis diœceſis, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum, Unioni Burſfeldenſi G ſe ſubmiſit anno 1469.

Bremenſe m. in ipſa valle Archiepiſcopalis urbis Bremenſis in honorem S. Pauli fundatum, Unioni ſe Burſfeldicæ conſecravit anno 1537.

Brettigenſe m. Moguntinæ diœceſis, unioni ſubjectum anno 1514.

Bruvylerenſe m. in Archiepiſcopatu Colonienſi, duobus fermè milliaribus ab urbe Colonia, in honorem S. Nicolai Epiſcopi fundatum anno circiter 1050. unioni fuit incorporatum an. 1467.

Burſfeldia, ſacræ unionis quondam caput, ad Viſurgim fluvium, in Ducatu Brunſuicenſi Moguntinæ diœceſis, fundata eſt in honorem ſanctorum Thomæ Apoſtoli, & Nicolai Epiſcopi: Reformata autem fuit anno 1437.

Cella S. Mariæ, prope Elfendorp in Epiſcopatu Lubecenſi, in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ fundata, fuit unita an. 1468.

Ciſmaria, in honorem ſanct. Joannis Evangeliſtæ fundata, unioni ſe dedit an. 1437. H

Claraaqua, monaſterium monialium ſub Præpoſito, in Friſia, diœceſis olim Ultrajectenſis, in honorem B. Virginis Mariæ fundatum: unioni ſe dedit an. 1469.

Cluſa in Ducatu Brunſuicenſi, prope oppidum Ganderſheim, in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ, & S. Georgii fundatum ſuſcepit reformationem an. 1435.

Colonienſe ampliſſimum monaſterium, in urbe in honorem ſancti Pantaleonis martyris fundatum Burſfeldenſi unioni ſe ſubjecit an. circiter 1450. Ibidem Coloniæ aliud monaſterium dictum ad S. Martinum majorem, fundatum anno 986. Unionis eſſe cœpit an. 1450.

Corberia, Imperiale, & exemptum monaſterium, prope oppidum Huxurienſe diœceſis Paderbonenſis, in honorem S. Viti martyris extructum eſt anno 822. ſeminarium ferè præcipuorum olim totius Saxoniæ Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & doctiſſimorum virorum, in quo numerati ſunt olim 300. Sacerdotes, per tres diverſos choros diſtincti,

cti, diu, noctuque divinas laudes perſolventes. Primò autem A fuit reformatum anno 1486. ac deinde unioni datis literis ſe ſubdidit anno 1505.

Egmunda, m. in Comitatu Hollandiæ, olim diœceſis Ultrajectenſis, nunc Harlemenſis, in honorem S. Adelberti Epiſcopi, & martyris conſtructum, eſt unitum Capitulo Burſfeldenſi an. 1491.

Einhamenſe m. in Flandria, diœceſis Mechlinienſis, in honorem Sanctiſſ. Salvatoris fundatum anno 1063. Burſfeldenſi autem unioni ſubditum an. 1524.

Elſendorpenſe monaſterium, vide ſuprà Cella S. Mariæ.

Erphordienſe m. in ejuſdem nominis urbe, & monte Petrino, in Thuringia, diœceſis Moguntinenſis, in honorem SS. Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fundatum, unionem cum primis aſſumpſit an. 1437.

Eſeborenenſe monaſterium.

Ethonis m. in Epiſcopatu Argentinenſi, unitum eſt anno 1607. ut Altorfienſe.

Flechtorpenſe monaſt. in Comitatu Vvaldek, diœceſis Colonienſis, in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſancti Clementis, & S. Laurentii fundatum, unioni Burſfeldenſi ſe B adjunxit an. 1468.

Fliecbach. vide infrà litera V.

Forſvvartenſe monaſterium, alias Bethania in Friſia Orientali.

Gemblaſenſe in oppido ejuſdem nominis, Ducatus Brabantiæ, & diœceſis olim Leodienſis, nunc Namurcenſis, in honorem S. Petri Apoſtoli, & S. Exuperii martyris fundatum anno 922. Unioni eſt aſſociatum anno 1505.

Geroda, m. in Einchsfeldia Archiepiſcopatus Moguntienſis, uno milliari ab oppido Duderſtadt, in honorem ſanct. Michaelis Archangeli fundatum, unioni Burſfeldenſi eſt incorporatum an. 1467.

Gengembacenſe, Imperiale monaſterium, in Archiepiſcopatu Argentinenſi, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum eſt, incorporatum, ut Altorf. an. 1505.

Gladbacenſe, in Ducatu Juliacenſi, uno milliari ab oppido Noveſienſi, diœceſis Colonienſis, in honorem S. Viti martyris fundatum. Unioni Burſfeldenſi adſcriptum an. Do- C mini 1511.

S. Godehardi monaſterium. Videatur litera H.

Gotzaugia m. ſub Marchione Badenſi, diœceſis Spirenſis, quatuor milliaribus ab Hirſaugia, fundatum, membrum unionis Burſfeldenſis factum eſt anno 1437.

Gottzrichenſe m. in Epiſcopatu Mechelburgenſi, non longè ab ipſa urbe, in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis, & S. Michaelis fundatum, Burſfeldenſi Unioni ſubiectum eſt anno 1493.

Grafeſchafrenſe m. in Vveſtphalia, ſeu Suirlandia diœceſis Colonienſis, in honorem S. Alexandri martyris fundatum, ad unionem acceſſit an. 1506.

Gronavvenſe m. in Haſſia diœceſis Treverenſis, in honorem S. Sebaſtiani martyris fundatum.

Haſungenſe m. in Haſſia, diœceſis Moguntinenſis, unioni Burſfeldenſi incorporatum eſt an. 1505.

Heilburgenſe monaſterium.

Herbipolenſe ad S. Stephanum, in ipſa urbe Epiſcopali, Unioni Burſfeldenſi incorporatum an. 1460. Ibidem ad S. Jacobum Majorem, Suburbano fundatum eſt, unitum per Joan- D nem Trithemium an. 1513.

Herſlefeltenſe m. in Archiepiſcopatu Bremenſi, in honorem S. Apoſtoli Bartholomæi fundatum ann. Domini 1100. unioni Burſfeldenſi ſubditum an. 1510.

Hildesheimenſe primum ad S. Michaelem, in eadem urbe prope muros fundatum, unionis Burſfeldicæ membrum factum eſt an. 1451.

Hildesheimenſe ſecundum monaſterium, dictum ad ſanct. Godehardum, qui fuit illius urbis Epiſcopus, in Brulone, haud procul ab urbe fundatum, unioni aſſociatum eſt anno 1466.

Hildeslebenſe m. diſtans uno milliari ab Ammesleben, de quo ſuprà, Unionis Burſfeldenſis factum eſt an 1472.

Hirſaugia, in Ducatu Vvirtemburgenſi, prope Nigram ſylvam, diœceſis Spirenſis, in honorem SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum fundatum, unioni Burſfeldenſi acceſſit anno 1437. Reddidit hoc monaſterium celebre inter alios Joannes Trithemius Abbas, cujus extat Chronicon Hirſaugienſe.

Humbergenſe m. in Haſſia, in honorem S. Chriſtophori fundatum, unioni ſe adjunxit an. Domini 1437. E

Huelsbergenſe m. unitum an. 1526.

Huesborgenſe m. uno milliari ab Epiſcopali urbe Halberſtatenſi in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis fundatum, unioni ſe dicavit an. 1434.

Hungelshofenſe m. Argentinæ diœceſis, unioni incorporatum eſt an. Dom. 1513.

S. Jacobi prope Moguntiam, *vide lit. M.*

Iborgenſe m. in caſtello ejuſdem nominis, Epiſcopatus Oſnaburgenſis, in honorem S. Clementis martyris fundatum, ad unionem fuit adſumptum an. 1468.

Islemborgenſe m. in Epiſcopatu Halberſtadenſi, in honorem SS. Petri, & Pauli fundatum.

Keilderpfenſe monaſterium.

Konigreslutterenſe m. in Ducatu Bruſuicenſi, diœceſis Halberſtadenſis, in hon. SS. Petri, & Pauli fundatum, unioni ſe devovit an. 1492.

Lacenſe m. in Archiepiſcopatu Treverenſi, non procul ab oppido Andernachenſi, in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis Deiparæ fundatum, unioni ſe incorporavit anno 1474.

Leibornenſe m. in agro Epiſcopatus Monaſterienſis, uno F milliari ab oppido Lippia, in honorem ſanctiſſimæ Dei Genitricis, nec non BB. martyrum Coſmæ, & Damiani, itemque Simeonis Prophetæ (cujus brachium ibi religioſè adſervatur) fundatum, reformationem Burſfeldenſem ſubiit anno 1465.

Limburgenſe m. ſub Electore Palatino, diœceſis Spirenſis, fundatum, unitum eſt an. Dom. 1481.

Lutherenſe monaſterium. *Vide ſuprà K.*

Luxemburgenſe beatiſſimæ Mariæ cœnobium, in ejuſdem nominis Ducatu, & urbe, in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis fundatum anno 1683. ad ſacram unionem acceſſit anno 1506.

S. Mariæ monaſt. prope caſtrum Oldeburg, in agro, & finibus Epiſcopatus Paderbornenſis, duobus milliaribus à Corbeja; in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque Jacobi Apoſtoli, & Criſtophori martyris fundatum, ad matriculam unionis Burſfeldenſis venit anno 1480.

S. Martini. { majoris Coloniæ. *Vide C.* / in urbe Treverica. *Vide T.* / in Spanheim. *Vide S.* } G

Martzburgenſe monaſterium.

Monaſterium S. Mauri, in ejuſdem nominis oppido, quatuor milliaribus ab Argentina, in honorem Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſanctique Martini fundatum anno 724. ſacræ unionis obſervantiam ſuſcepit an. 1697. uti Altorf.

Mediolanenſe monaſterium, diſtans quatuor milliaribus ab urbe Treverenſi, ab Archiepiſcopo Luduvino fundatum, unionis albo fuit inſcriptum an. 1468.

Mersburgenſe m. in ipſa urbe Epiſcopali, in Thuringia ſive Saxonia ſuperiore, in honorem Ss Petri, & Pauli Apoſtolorum fundatum, ſacræ unioni ſeſe obſtrinxit an. 1437.

Mindenſe m. in ejuſdem nominis urbe Epiſcopali ad Viſurgim fluvium, in honorem Ss. Mauritii, & Simeonis fundatum, membrum unionis Burſfeldenſis factum eſt anno 1464.

Moguntinum, ad S. Jacobum prope muros urbis iſtius H Archiepiſcopalis, in monte ſpecioſo fundatum, unioni incorporatum eſt an. Dom. 1437.

Monachorum Aurachium, ſive Aurachenſe monaſterium in Marchia Brandeburgenſi, ad fluvium Auracium diœceſis Herbipolenſis, in honorem Ss. Petri, & Pauli Apoſtolorum fundatum ad unionem acceſſit an. 1480.

Mons monachorum, in Epiſcopatu Bambergenſi, apud ejuſdem nominis urbem primariam, in honorem S. Michaelis Archangeli fundatum anno 1008. ad unionem venit anno 1467.

Mons S. Joannis Baptiſtæ, vide infrà Rinckavienſe monaſterium.

Nevembargenſe m. ſub Comitibus de Anholdt, diœceſis Magdeburgenſis, in honorem S. Georgii, fundatum, ad unionem acceſſit an. 1437.

Rottenſe m. diœceſis Herbipolenſis, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum, unitum 1480.

Northeimenſe m. in ejuſdem nominis oppido, Ducatus

catus Brunſuicenſis in honorem S. Blaſii Epiſcopi, & martyris fundatum, Unioni adſcriptum eſt anno Domini 1.64.

Norembergenſe monaſterium.

Oldenslebenſe m. in honorem S. Viti Martyris fundatum, acceſſit reliquis obſervantiæ Burſfeldenſis anno 1483.

Oldenſtaides m. in Ducatu Lunemburgenſi, in honorem S. Joannis Baptiſtæ fundatum, Unionis Burſfeldenſis reformationi ſe ſubdidit anno 1482.

Oratorium Regni Daniæ, ſub Epiſcopatu ibidem Arhuſienſi, in honorem B. Mariæ Virginis fundatum, Unioni incorporatum eſt anno 1488.

Oſtbroucanum monaſterium, in Epiſcopatu Ultrajectenſi prope Ultrajectum in honorem S. Laurentii martyris fundatum anno 1122. Burſfeldicæ Unioni incorporatum eſt an. 1498.

Paderbornenſe monaſterium, vide Abdinhoff.

S. Pantaleonis martyris, Coloniæ, vide C.

Pagavia, monaſterium in honorem S. Jacobi Apoſtoli fundatum, Unioni Burſfeldenſi conjunctum eſt anno 1485.

B Raſtedenſe m. Comitatu Oldemburgenſi diœceſis Bremenſis.

Reinhardisbornenſe m. in finibus Thuringiæ diœceſis Moguntinæ, in honorem B. Mariæ Virginis, & Joannis Evangeliſtæ fundatum, Unionis albo adſcriptum eſt anno 1493.

Reinsdorfenſe m. in diœceſi Halberſtadenſi, in honorem S. Michaelis Archangeli fundatum Unionis albo annumeratum eſt an. 1491.

Reinhauſenſe m. in Ducatu Brunſuicenſi, prope oppidum Gottingen, in honorem S. Chriſtophori martyris fundatum, ad Unionem receptum eſt anno 1437.

Rinckavienſe m. in monte Sanct. Joannis Baptiſtæ in Archiepiſcopatu Moguntino, fermè tribus milliaribus à Moguntia fundatum, ad Unionem receptum anno 1473.

Rincelenſe m. in Ducatu Brunſuicenſi, in honorem S. Abdon, & Sennes fundatum, ad Unionem receptum eſt anno 1483.

Scynna, in Comitatu Hoyenſi, diœceſis Monaſterienſis in honorem S. Viti martyris fundatum Unioni incorporatum eſt an. 1468.

Schonaugia in Archiepiſcopatus Treverenſis finibus ab oppido Bingen. 4. milliaribus diſtans monaſterium in honorem S. Florini Confeſſoris fundatum, eſt Unioni adſcriptum anno 1437.

Scotterenſe monaſterium in Palatinatu, Argentinæ diœceſis, tribus milliaribus ab Argentina, unitum eſt anno 1490.

Seligenſtadenſe m. in ejuſdem nominis oppido, Archiepiſcopatus Moguntini ad Mœnum, quatuor ferè milliaribus à Francofurto, in honorem SS. Martyrum Marcellini, & Petri fundatum, Unioni incorporatum eſt anno 1481.

Siloſ, monialium cœnobium, habens olim apud ſe Abbatem ſeorſum habitantem in Friſia prope urbem Groningam, diœceſis olim Monaſterienſis, nunc Groningenſis, in honorem S. Catharinæ virginis, & martyris fundatum, Unioni incorporatum eſt an. 1469.

Sonnebergenſe monaſterium.

D Spanheimenſe m. in ejuſdem nominis Comitatu, quem nunc occupat Elector Palatinus prope oppidum Creutznachum, diœceſis Moguntinæ, in honorem ſancti Martini Epiſcopi fundatum eſt, Unioni incorporatum anno Domini 1470.

Staurienſe monaſt. in Occidentali Friſia, Unioni incorporatum eſt anno 1495.

Stadenſe, in oppido Staden, Archiep. Bremenſis, fundatum in honorem B. Mariæ Virg. Unioni incorporatum eſt an. Domini 1510.

Steina, in Eichsfeldia Archiep. Moguntini, uno milliari ab oppido Gottingen, & ſeptem milliaribus à Corbeja; monaſterium in honorem B. Virginis Mariæ fundatum, Unioni incorporatum eſt an. 1492.

Svvartzachium, Argentinenſis Epiſcopatus, in oppido Svvartſack, ad Mœnum amnem, in honorem S. Felicitatis fundatum anno 815. Unioni incorporatum eſt anno Domini 840.

Tholegia, ſeu Dolegium Trevericæ diœceſis, in honorem S. Mauritii fundatum an. 827. Unioni incorporatum eſt anno 1487.

Thirenſe m. diœceſis Herbipolenſis exemptum, diſtans ab ejuſdem nominis urbe ſeptem milliaribus, & quatuor à Bamberga, fundatum, eſt Unioni adſcriptum an. 1605.

Treverenſe antiquiſſimum, & opulentiſſimum monaſterium ad S. Matthiam, extra muros urbis Archiepiſcopalis fundatum, eſt membrum Unionis Burſfeldenſis factum anno 1436.

Ibidem ad S. Martinum in vallo urbis prædictæ, fundatum anno 526. Burſfeldenſi Unioni incorporatum eſt an. 1468.

Item B. Mariæ monaſterium ad SS. Martyres, extra urbem, fundatum anno Domini 694. membrum Unionis factum eſt anno 1437.

S. Trudonis Imperiale monaſterium, in diœceſi Leodienſi, in ipſo oppido S. Trudonis, ad Unionem venit an. 1603.

Tronanenſe monaſterium.

Tuitienſe, in ejuſdem nominis caſtello Tuitio, è regione urbis Colonienſis ad Rhenum, in honorem S. Heriberti Epiſcopi fundatum an. 1012. Unioni incorporatum an. 1490. Monaſterium hoc in primis celebre eſt ſcriptis Ruperti, ejuſdem monaſterii Abbatis, Tuitienſis inde dicti.

Velsdorphenſe m. Herpibolenſis diœceſis, in honorem ſancti Michaelis fundatum, Unioni incorporatum eſt anno 1477.

Ulierbacum, olim extra, nunc in ipſa urbe Lovanienſi, in honorem SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, necnon S. Medardi Confeſſoris fundatum an. 1125. Unioni incorporatum eſt an. 1605.

Ulſen vetus.

Ultrajectenſe ad D. Paulum, in ipſa Urbe Ultrajectina, fundatum anno 1054. Unioni incorporatum eſt anno 1469.

Voſvvart, vide F.

Utavve, in Hercinia Silva, diœceſis Herbipolenſis, in honorem Sancti Laurentii martyris fundatum.

Vverdena, Imperiale monaſterium in ejuſdem nominis oppido, Ducatus Montenſis, diœceſis Colonienſis, in honorem S. Lugderi fundatum, Unionis Burſfeldenſi additum eſt anno 1477.

Vvimmelburgenſe m. diœceſis Halberſtadenſis, in honorem S. Sebaſtiani martyris fundatum, Burſfeldenſi Unioni incorporatum eſt an. 1492.

Vviſſemburgenſe monaſt. Capitulo, & obſervantiæ Burſfeldenſi unitum an. 1515.

Hactenus de monaſteriis Unionis ſeu Congregationis Burſfeldenſis, quæ hodieque floret, & annis ſuperioribus Coloniæ excitavit Collegium ad ſui inſtituti Sodales ſacris litteris inſtruendos.

Congregatio Fulienſium Monachorum inſtituti Ciſtercienſis per Joannem Barrerium inſtituta.

Sexcenta amplius, eaque præclara in regno Galliæ ſunt monaſteria, Abbatiali dignitate illuſtria. Sed unum hoc imprimis omnes boni deplorant, pleraque non regulares, ſed Commendatarios, ut vocant, Abbates habere. Quo fit, ut non modò rigor diſciplinæ monaſticæ ſolvatur, ſed & prædia ac vectigalia annua paulatim diminuantur, ac pereant. Extat ea de re inſignis libellus monitorius Joannis Fileſaci Theologi Pariſienſis, quem Eccleſiæ Gallicanæ veteris (adde, & novæ) Querelam inſcripſit. Cæterùm Abbates inter Commendatarios noſtra ætate fuit & Joannes Barrerius, Gallicè de la Barriere, vir nobili genere natus: cui quidem cùm Abbatia Fulienſis, inſtituti Ciſtercienſis, apud Toloſam ſita, in Commendam, ut vocant, eſſet collocata, animum revocans cœpit de monaſtica vita amplectenda ſeriò cogitare. Itaque ex Commendatario factus Abbas regularis, ſuos primùm ſodales, ac monachos ad veteris diſciplinæ obſervantiam exemplo, ac monitis revocavit: Secuti mox alii: adeo quidem, ut Henricus III. Galliæ, & Poloniæ Rex, increbreſcente fama commotus, ipſum Barrerium ad ſe evocarit. Venit itaque Lutetiam cum ſociis ſexaginta anno 1587. & à Rege ipſo in ſaltu Vicenarum die 11. menſis Julii (qui S. Benedicti venerationi ſacer eſt) humaniſſimè exceptus eſt. Inde cum ſuis 8. Septembris (qui Deiparæ natalis) migravit ad monaſterium ipſis ab eodem Rege extructum in Pariſienſi S. Honorati ſuburbano, haud procul à Cœnobio Capuccinorum. Obiit autem Barrerius Romæ an. Chriſti M.DC. ætatis ſexto, & quinquageſimo, non ſine opinione ſanctitatis. Multa vir bonus à ſuis paſſus fuit, ut & olim S. Benedictus, & S. Robertus Abbas I. Ciſtercienſis, aliique piarum familiarum Principes.

Geſtant autem Fulienſes veſtem prorſus candidam, nudis incedunt pedibus, ut Capucini, & Carmelitæ diſcalceati: abſtinent ab eſu carnium, & piſcium; non habent Abbates, ſed Priores tantummodo: odeum, ſive chorum habent retro aram ſummam, ut à populo prorſus ſecreti, Deo liberius vacare queant.

Habent autem Fulienſes Pariſiis, & alibi in Gallia Conventus plurimos, quibus nuper etiam acceſſit monaſterium Fontanis, in loco natali S. Bernardi, apud Burgondos per Fulienſes excitatum à fundamentis. Habent & inſigne cœnobium Romæ.

* Ordines Militares Varii Sub regula S. Bernardi militantes.

B Præter ordinem olim Equeſtrem Templariorum, quibus vitæ Regulam S. Bernardus præſcripſit, militant hodie ſub S. Benedicti ſignis ordines Calatravæ in regno Caſtellæ, Alcantaræ in regno Legionenſi, Monteſi in regno Valētiæ, Chriſti, & Aviſii apud Luſitanos S. Mauritii apud Sabaudos, & S. Stephani apud Etruſcos.

* Ordo Equitum Christi in Portugallia.

Portugallia, ſive, ut alii ſcribunt, Portugalia, (quæ provincia majori ex parte veteribus Luſitania fuit) ſecundùm Oceanum occiduum fuſa, & Anà, ac Minio fluminibus ad meridiem, ſeptemtrionemque comprehenſa, longitudine quadringenta millia paſſuum colligit, multo minori latitudine, & ubi latiſſimè ſe pandit, centum amplius ſexaginta millium, ubi arctiſſimè coit, octoginta. Diviſa eſt in partes tres, Ciſtaganam, Tranſtaganam, & tractum eum, qui Minio, Durioque continetur, proventus lætiſſimus, ubi Bracala ſita eſt: citrà Tragum autem Olyſſipo, ultra Tragum ſpectatur Ebora, metropolitanæ urbes. Cæterùm ut in Caſtella, ſic & in Luſitania varii ordines militares numerantur: quorum quidem militum incredibili virtute freti Reges Luſitaniæ, Mauros olim ea provincia expulerunt, avorumque ætate Africam, Aſiam, atque alio ſub Sole jacentes Indos, ſibi tributarios fecerunt, veræque religionis lumen in remotiſſimas nationes intulerunt. Hos inter ordines apud Luſitanos is nobiliſſimus cenſetur, qui Chriſti nomine inſignitur. Cujus quidem ſodales, ex Ciſtercienſium inſtituto viventes, nigra veſte utuntur, & cruce partim rubrà, partim candida. Sunt enim quatuor ejus brachia per medium diſciſſa, & linea candida interſecante diſtincta, ſic ut in ſingulis brachiis binæ cruces appareant, rubra & candida. Militarem hunc ordinem, adversùs Mauros inſtitutum, Joannes XXII. Pont. Max anno ferè CIC. CCC. XVIII. confirmavit. Huic ſodalitio Templariorum nuper delectorum oppida, prædia, ædeſque à Dionyſio Luſitaniæ Rege ſunt attributæ. Primarium ordini domicilium ad Caſtrum Marinum in diœceſi Eluenſi, eſt conſtitutum: inde poſteà Tomarium migratum. Sic ferè *Mariana in hiſtoria Hiſpaniæ*: at *Panvinius in Chronico ſuo Eccleſiaſtico, ad an.* 1325. iſta refert. Extant hujus ordinis Regulæ, ſeu Conſtitutiones, itemque Privilegia Luſitanè edita Olyſſipone an. 1607. à Damiano, Priore conventus Tomarienſis, & generali ejuſdem ordinis Præfecto. Connubii porrò facultatem ab Alexandro VI. Pont. Max. militibus iſtis conceſſam legimus.

* Ordo Equitum Montesiæ, in regno Valentiæ.

Jacobus II. Aragoniæ, Catalauniæ, & Valentiæ Rege, per legationes agente, ex prædiis, quæ Templarii in Valentinò tractu obtinuerant, nova ut militia conſtitueretur, an. CIC. CCC. XVII. à Joanne XXII. Pont. Max. eſt impetratum, Calatravæ quidem contributa, proprio tamen Magiſtro veſte candida, & cruce rubra inſignis, ſimplici planaque Ciſtercienſis inſtituti legibus vivere mandatum eſt. Præcipua ſedes Monteſia: unde & militiæ nomen. Infeſtabant id temporis Mauri littora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites iſti operam præſtitere. Primarius hujus inſtituti auctor fuit Guilielmus Erilius, vir fortiſſimus. Solent autem equites iſti in vexillis militaribus cruces viridi, nigroque colore diſtinctas, in ſcutis autem, veſtibuſque cruces, ut dixi, rubras præferre, & caſtitatem omnes profiteri.

Inter magiſtros ordinis meritò laudatur Jacobus Jacobi Aragoniæ Regis filius: cui Eleonora Alfonſi Caſtellæ Regis filia cùm eſſet deſponſata, ea intacta relictaque, militiæ huic nomen dedit, laudatiſſimeque præfuit. Noſtra ætate *Jacobus Falco*, Valentinus hujus ordinis miles, inſignem *de quadratura circuli* commentarium edidit Antuerpiæ typis Bellerianis. Plura qui volet, *Joannem Marianam*, *Conſalvum*, *Argotem*, *Molinam*, *libro de nobilitate Hiſpaniæ*, alioſque ejus provinciæ hiſtoricos conſulat. Qui quidem unanimi conſenſu, non ad Jacobi I. cognomento Fortunati, ut Volaterranus, Bugianus, & Morigia per errorem fecere; ſed ad Jacobi II. Aragoniæ, Regis tempora hujus equeſtris militiæ initia referunt. Ex quibus patet *Onuphrium Panvinium in Chronico ſuo Eccleſiaſtico*, iſta perperam an. Chriſti 1233. adſcribere.

* de Ordine Equitum Sancti Mauritii, & S. Lazari in Sabaudia.

Equites S. Lazari multa olim habuerunt prædia apud Sabaudos, & Pedemontanos. Quæ omnia poſſident hodie Equites Ordinis S. Mauritii, & S. Lazari, concedente Gregorio XIII. Papa, qui utrumque ordinem conjunxit an. 1572. & Ducem Sabaudiæ perpetuum creavit Magiſtrum generalem. Geſtant Equites iſti crucem viridem limbo candido concluſam, in cujus medio altera crux, videlicet S. Mauritii viſitur.

Fuit autem ordo S. Mauritii ſub regula Ciſtercienſi anno 1572. XVI. Kalend. Octobris per Gregorium XIII. contra Hæreticos inſtitutus, ſeu renovatus: cum quo idem Pontifex anno eodem, Idibus Novembris, univit & annexuit ordinem Equitum hoſpitalariorum S. Lazari Hieroſolymitani, ſub regula S. Auguſtini militantem, ut ex dicti ordinis, utriuſque uniti, privilegiis Taurini editis docetur.

* Ordo Carthusianorum, à S. Brunone excitatus.

Ex Lucubrationibus Aub. Miræi.

Bruno Coloniæ Agrippinæ claris parentibus ortus, dum Lutetiæ Pariſiorum litteris operam navaret, horrendo prodigio ad religionem conversus eſt. Cùm enim Doctoris cujuſdam litteratura, & moribus eximii defuncti exequiæ in Eccleſia celebrarentur, illaque verba, *Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates*, decantarentur, mortuus, omnibus qui aderant audientibus, & ſtupentibus, capite elevato, alta, & horrenda voce dixit, *Juſto Dei judicio accuſatus ſum*, caputque repoſuit. Dilata in craſtinum ſepultura, totaque penè civitate confluente, ubi ad eadem verba ventum eſt, is rurſum capite erecto ait, *Juſto Dei judicio judicatus ſum*. Omnibus ſpectaculum admirantibus, placuit diem tertium expectare; quo adveniente, repetitis exequiarum precibus, ad eadem verba defunctus attollens caput, dixit, *Juſto Dei judicio condemnatus ſum*. Quæ res inter cæteros Brunonem, qui præſens tanto ſpectaculo interfuerat, ita perterruit, ut accerſitis Sodalibus Landuino, Stephanis duobus, Hugone, qui ſolus erat ſacerdos, Andrea, & Guarino laicis, longa oratione perſuaſerit, inter alia illud Gregorii Papæ adducens. Qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit, ut mox ſæculo dicentes vale, locum peterent pœnitentiæ. Quare ad Hugonem Gratianopolitanum Antiſtitem venientes, locum cum benedictione intra altiſſimos montes, Carthuſiam nomine, obtinent: ibique vitam ſub Brunonis diſciplina angelicam duxerunt. Evocatur intereà Bruno ab Urbano II. Pontifice, qui ejus diſcipulus fuerat, ſociis ejus receſſum ægrè ferentibus, & flentibus, quibus poſteà Landuinus præfectus fuit. Bruno autem Archiepiſcopatu Rhemenſi (vel, ut alii volunt Rheginenſi) Epiſcopatu Rothomagenſi recuſato, curiæ pertæſus, cum ſociis in Calabriam proficiſcitur, & in Turrenſi ſolitudine Scyllacienſis diœceſis aliquandiu vitam egit: donec Rogerius Comes Calabriæ, fama ſanctitatis tractus, ad eum viſendum veniens, baſilicam S. Mariæ, & S. Stephani cum adjacentibus prædiis ei largitus eſt; quam

quam S. Bruno impenſis à Comite ſuppeditatis magnificè extruxit. His, & aliis rebus geſtis, multiſque clarus miraculis, ſanctus vir vitæ terminum adeſſe præſentiens, convocatis fratribus, & totius vitæ ſuæ curſu enarrato, eos ad obſervantiam regulæ hortatus pridiè Nonas Octobris anno ſalutis 1101. efflavit animam, in ęde S. Stephani ſepultus. Ad cujus tumulum fons vivus ſcaturiit, adeò morbidis ſalutaris, ut cęci viſum, ſurdi auditum, muti loquelam, leproſi munditiem, & variis aliis morbis oppreſſi ſanitatem inde receperint.

In Divos relatus eſt à Leone X. Papa.

De Carthuſianorum ordine, monaſteriis, ac viris doctrina illuſtribus ſcripſere *Petrus Dolandus*, *Petrus Sutor*, *Arnoldus*, *Boſtius*, *Theodorus Petrejus*, *Aub. Miræus*, *& alii*.

NOMINA PRÆCIPUORUM ALIQUOT Epiſcoporum, aliorumque præſulum Comitum, ac Magnatum, quos Ordo Carthuſienſis habuit.

B. Bruno, Patriarcha Ordinis, cùm eſſet ſummus rerum mundanarum contemptor, ac honorum fugitans, recuſavit oblatum ſibi ab Urbano II. ampliſſimum Rheginenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum: multò futurus glorioſior in cœlis, quòd hìc in terris ſtudebat eſſe demiſſior.

Pontifices.

Credo equidem ſingulari quadam divini numinis benignitate accidiſſe, ut Carthuſianæ familiæ nullas omnino, ad tam grave, ac periculoſum univerſalis Eccleſiæ munus ſit cooptatus: licet à diverſis aliquando id attentatum ſit. Mortuo namque Clemente VI major Cardinalium pars Joannem B. Relſium, XII. Ordinis Generalem, ad Pontificatum provehere enixe cupiebat; verùm ille modis omnibus recuſare. Similiter etiam Guilielmus Reinaldi XXIV. Generalis, in electione conclavis undecim habuit purpuratorum Patrum ſuffragia.

Franciscus de Puteo XXXIII. Ordinis Generalis dicitur in Concilio Baſileenſi decem habuiſſe ſuffragia ad Pontificatum.

Cardinales.

Etſi præfati quidem Patres tam Cardinalatum, quàm Pontificatum ſumma animi contentione evadere ſint conati, qui tamen ſequuntur, nullo modo id efficere potuere.

Nicolaus namque Albergatius, Bononienſis Carthuſiæ profeſſus, cùm eſſet ſuſcipiendæ pietatis, atque eximiæ prudentiæ vir, à Martino V. in purpuratorum Patrum cœtum vel invitus eſt adſcitus: fuitque Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem. Obiit verò Senis, ſeptimo Idus Maii, anno Domini 1443. Pontificatus Eugenii decimo tertio.

Alter fuit Blaſius Cardinalis, Prior nimirum domus portæ B. Mariæ, qui naturæ conceſſit anno virginei partus 1549.

Sunt quoque oculati, ac fide digni teſtes, qui adfirmant, poſt obitum Pii V. in ipſius conclavi chartam quandam repertam, continentem nomina doctiſſimorum quorundam virorum, quos (ſi diutius ſupervixiſſet) in Cardinalium collegium cooptare voluiſſet. E quorum numero cum primis fuere. Laurentius Surius, & Petrus Caniſius.

Patriarchæ.

Antonius Surianus, Venetiarum Patriarcha, ac Primas Dalmatiæ, naturæ conceſſit an. 1509.

Episcopi.

Vixere in ſacro Carthuſ. Ordine Epiſc. Hugones ad minus tres: quorum primus fuit Gratianopolitanus Antiſtes, alter Viennenſis, tertius Lincolnienſis.

Anthelmus, Epiſcopus Bellicenſis. De quo *Surius Tom. 3. die 26. Junii*.

Stephanus, Prior Portatum, Epiſcopus Dienſis. De quo idem *Surius 7. Septembr.*

Bernardus itidem, Portarum Prior, qui D. Bernardo Abbate Clarævallenſi inſtigante, ab Innocentio II. putatur ejuſdem Dienſis Eccleſiæ fuiſſe Antiſtes.

Odolricus Epiſcopus Dienſis, legitur à Beato Hugone Gratianopolitano habitum Ordinis ſuſcepiſſe, illiuſque obitui interfuiſſe, uti conſtat *ex vita ipſius Tom. 2. Surii die 1. Aprilis. §. penultimo.*

Joannes Imgelbus, Epiſcopus Laudavenſis, Prior domus *Schenæ*, & Viſitator Provinciæ Anglicanæ, obiit an. 1499. die VIII. Septembris.

Gosvinus N. profeſſus Carthuſiæ Dieſtenſis, ac poſtmodum Epiſcopus Schalotenſis.

Raimundus de Commercio, profeſſus domus Glanderii, fuit anno Domini M. DC. VI. electus in Epiſcopum Tarlacenſem.

Franciscus de Simiana, Epiſcopus Aſtenſis, profeſſione Carthuſianus, obiit anno 1574.

Fransiscus de Caſa nova, Epiſcopus Aſtenſis, profeſſus, & aliàs Prior Carthuſiæ Avinionenſis, *ac boni paſſus*, nec non & viſitator Provincię, naturę debitum perſolvit anno 1588.

Joannes Baptista Ruinus, profeſſus domus Papæ, magnus Commendator Sancti Spiritus in Urbe, & Provinciæ Lombarbiæ remotioris Viſitator, alias Prior Capri Romæ, ac Neapolis, obiit anno M D. LXXXVIII. die XXIV. Januar.

Gvilielmus Chryſolneus, Dumblavenſis in Scotia Epiſcopus, magno natu vir, utpotè genere Bato, ſub Scotiæ defectionem, Romam ſe conferens, atque Epiſcopali dignitats ſe abdicans, impetrato à Summo Pontifice, qui eum ad altiora provehere ſtudebat, conſenſu, ad Majorem contendit Carthuſiam: in qua Monachum profeſſus, ad annos aliquot, quam humillimè vixit, conferens ſubinde Ordines ſacros ſuis fratribus. Poſtmodum verò Lugdunenſi, ac Romanę Carthuſię ſucceſſivè pręfectus Generalis fuit Ordinis Procurator apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum. Quin & Legatus quoque ad Jacobum Scotię Regem tunc, nunc verò Anglię, miſſus: prudenter rem geſſit. Quippe quem ex ſacro fonte olim ſuſceperat. Obiit verò anno 1593. 26. Septembris.

Andreas Capella, Epiſcopus Urgellenſis, ac prior Scalę Dei in Hiſpanis, tam ſcriptis clarus, quàm pietate illuſtris: vivit etiamnum hoc anno 1508.

Gvalterus Epiſcopus Herbipolenſis, profeſſus Carthuſ. Horti Angelorum.

Godefridus Ambianenſis Epiſcopus, refertus à Thoma Bozio inter Carthuſianę familię Antiſtites. Vixit namque aliquandiu in Majori Carthuſia ſub Guigone V. Ordinis Generalis: uti conſtat ex Nicolao Monacho Suſſionenſi, qui ejus res geſtas ad longum proſecutus eſt, extantque apud *Surium Tom. 6.* de probatis Sanctorum Hiſtoriis die 8. Novembr. Ibi namque id legitur *lib. 3. capite* 8. 10. *&* 11.

Habuit Ordo Carthuſianus à tempore fundationis ſuę uſque ad an. 1300.

Cardinales duos.
Archiepiſcopos 14.
Epiſcopos 43.

Ab anno autem Chriſti 1300. plures: qui ſuo loco, ac tempore enarrabuntur.

Abbates.

Joannes Rode, primò Eccleſię Trevirenſis Officialis, deinde ex Carthuſiano Abbas S. Mathię apud Treviros.

Zacharias Benedictus, profeſſus Carthuſianę Venetę, ante ordinis ingreſſum fuit Abbas Benedictinę (ni fallor) familię.

Jacobus de Paradiſo, priuſquam Carthuſianorum inſtituto nomen daret, Ciſtercienſis Ordinis Abbas extitit: Quem & ſuo loco inter celebres hujuſce familię ſcriptores collocabimus.

Joannes de Deducken, ex Carthuſiano Colonienſi Abbas ibidem ad S. Panthaleonem (Benedictini incolunt) electus quàm optimè de loco illo eſt meritus, obiitque anno M. CCCC. LXIV.

Godefridus Lechuich, itidem Carthuſianus, prę fato Joanni in officio Abbatis ibidem ſucceſſit, qui & naturę conceſſit anno 1483.

Comites.

Comites.

Erasmvs de Virten, inter illuſtres Germaniæ Comites verè fuit illuſtris: quippè multò glorioſius ſuam illuſtravit familiam, quod ex Primariæ ædis Colonienſis, Canonico pauperculus Carthuſianus ſit effectus, quàm ſi mundano inhærens faſtui ſæculo diutius ſerviviſſet. Vixit verò in Carthuſia Colonienſi partim in cella, partim in Prioratus officio annos circiter ſex & viginti, obiitque non ſine inſigni vitæ ſanctimonia an. M. CCCLII.

Gerardvs Comes Nivernenſis, ex eorum laicorum numero, quos *Converſo*, dicimus, ſummæ fuit humilitatis, vixitq; in Majori Carthuſia. *De quo vide libro quarto. Chron. Dorlandi c. 14. pag. 203. per Aub. Miræum illuſtrat.*

Comes quidam Auſtriæ itidem factus eſt Converſus in Sclavonia, in domo quæ vulgò nuncupatur *Pletriarch*.

Petrvs Frecoldi, parens Clementis IV. Pontificis, venit ad Majorem Carthuſiam tempore Jancellini Prioris, nempe circa an. Domini M. C. L. XX. atque ibidem laicalem habitum ab eodem ſuſcepit.

Otto à Seinavu cognomento *Steinruct*. primariæ nobilitatis vir, relicta conjuge, ac liberis, divino ſe famulatui in Carthuſia pontis Beatæ Mariæ in *Aſthen* addicens, quàm pientiſſimè illic ad annos aliquot laicus vixit: vitamque feliciſſimè finiit.

Sancti, Ac Beati Ordinis Carthuſianorum.

Sancti, ac Beati dupliciter conſiderari poſſunt.

1. Ut referuntur in Faſtos ab Eccleſia militante.
2. Ut poſſident æternam gloriam in Eccleſia triumphanti.

Multa equidem millia Sanctorum ſunt, quorum nec nomina ſciuntur, nec feſta celebrantur: & tamen ipſi æterna felicitate cum aliis potiuntur, & pro nobis Viatoribus fideliſſimè apud Deum intercedunt. Primi generis Sanctos Carthuſiana religio habet 4.

1. S. Brunonem Patriarcham, qui obiit an. 1101. 6. Octob. quem Leo X. PP. canonizavit, pro Ordine tantùm, ſed Gregorius XV. pro Eccleſia Univerſali.

2. S. Hugonem E. Gratianopolitanum, qui obiit, an. 1132. 1. Aprilis, quem Innocentius 2. PP. retulit in catalogum Sanctorum Eccleſiæ.

3. S. Anthelmum E. Bellicenſem, qui obiit ann. 1178. 26. Junii, quem, ut reor, Alexander 3. PP. Sanctorum faſtis aſcripſit.

4. S. Hugonem E. Lincolvienſem in Anglia, qui obiit an. 1200. 17. Novemb. quem Honorius 3. PP. inter Sanctos numerari curavit.

Secundi Generis numerus ſoli Deo cognitus eſt; poterit tamen aliquot exemplis confirmari, ac illuſtrari.

1. Cùm Novitius quidam in Carthuſia majori aufugere voluiſſet, apparuerunt illi duo Patres defuncti in magna gloria, dicentes: Revertere ad cellam, habituque reſumpto viriliter perſeverato, Juramus enim tibi per viventem in ſæcula, omnes in hoc cœmeterio ſepultos in conſpectu Dei Sanctos eſſe, præter converſum unum. *Pet. Sutor lib. 2. cap. 4.* contigit hoc circa an. Chriſti 1350. quando S. Ordo per multas Provincias fuit diſſeminatus, & in variis cœmeteriis plurimos habuit ſepultos, de quibus idem poſſumus ſperare.

2. Anno Chriſti 1430. Adoleſcens quidam defunctus Romæ rediit die 12. ad vitam cum plurimorum hominum admiratione, & confluxu. Videns autem in circunſtantium turba unum Carthuſianum, veſtimenta illius apprehendit dicendo: Scitote, fratres, quod cælum omne talibus perſonis plenum ſit; deinde poſt 10. diem reſuſcitationis ſuæ iterùm obdormivit in Domino *Pet. Dorlandus lib. 5. cap. 26.*

3. Similiter Daventriæ quidam Hieronymianus raptus in ſpiritu ad cæleſtia contemplanda, cùm ad ſe rediiſſet, & à ſuo Superiore interrogatus eſſet, num etiam in cælo Carthuſianos vidiſſet, qui tam rigidam ducunt vitam, reſpondit: Vidi, mi Pater, & quaſi apum examina illic confluunt, atque ebulliunt: cælum iis plenum eſt. Hiſce dictis placidè in Domino obdormivit *Idem cap. 27.*

MARTYRES ALIQUOT CARTHVSIANI, Qui Pro avitæ fidei, monasticæque religionis defenſione crudeliter enecati.

Anno Domini. M. D. XXX. crudeliter à Turcis interempti ſunt profeſſi aliquot Carthuſiæ Morbacenſis. Cùm enim Viēnam Auſtriæ ingenti cum exercitu (fuiſſe namque in caſtris ultra centum armatorum hominum millia graves referunt hiſtorici) obſiderent, illorumque octoginta circiter millia ferro, flammaq; perierint, adeo ut Solimannus cum dedecore, & ignominia obſidionem ſolvere atque in Thraciam re infecta redire ſit compulſus, hinc ira percitus, in innocuum Chriſti irrupit gregem, vicinamque Morbacenſem Carthuſiam, quæ tertio ab urbe diſtat lapide, ferro demeſſuit: interemptis nimirum.

1. Sigiſmundo N. iſtius loci profeſſo.
2. Modeſto N. profeſſo Carthuſiæ Bruvinæ.
3. Fratre Erhardo, Converſo domus Morbacenſ.
4. Fratre Michaele, profeſſo ejuſdem domus.
5. Fratre Sebaſtiano, Reddito, ſeu laico ejuſdem domus.
6. Fratre Joanne, Converſo ibid. &c.

Anno quoque à nato Chriſto M. D. XXXV. occubuerunt in Anglia ſub Henrico VII.

1. pater Joannes Houthon, Prior Carthuſiæ Londinenſis, ſuſpenſus quidem laqueo, poſtmodum tamen vivus exenteratus.
2. P. Robertus Laurens, profeſſus ejuſdem loci, & Prior Domus Bellæ-vallis.
3. Auguſtinus *Mebſter*, profeſſus domus Schene, & Prior Viſitationis B. Mariæ.
4. P. Hunfridus *Mildermore*, Vicarius Carthuſiæ Londinenſis.
5. VVilhelmus ex *Meurve*, Procurator ibid.
6. Sebaſtianus *Neudegate*, Sacerdos.

Porrò ann. M. D. XXXVIII. in horrido Neugatenſi carcere ſqualore, ac pedore exincti ſunt.

7. Ricardus *Verer*. } *Sacerdotes, ac profeſſi*
8. Thomas *Johunſon*. } *Carthuſiæ Londinenſis*.
9. Joanne *Grenetz*. }
10. Joannes *Danen*. Diaconus ibidem.

Conversi, Seu Laicis.

11. Guilielmus *Grenervoede*.
12. Thomas *Schnenen*.
13. Robertus *Salte*.
14. Gualterus *erſon*.
15. Thomas *Nedinch*.
16. Guilielmus *Horne*.

Poſterior tamen cùm integro quadriennio in carcere manſiſſet, tandem laqueo fuit è medio ſublatus, atque in partes quatuor, proditoris inſtar, diſſectus anno ſcilicet M. D. LXI. die quarto Novembris, uti latius conſtat ex *Commentario Martyrii Anglorum*, ſeorſim hac de re conſcripto.

Præter hos adhuc alii duo profeſſi Londinenſes an. 1537. quinto idus Maii ſuſpenſi catenis, tamdiu in patibulis hæſerunt, donec oſſa omnia deciderent: quorum unus vocabatur

17. Joannes *Nochſteter*, alter
18. Jacobus *Bannert*.

Ruremundanorum Carthuſianorum crudele Martyrium.

Quàm atrociter deſævitum ſit die 23. menſis Julii, anno Domini M. D. LXXII. in præcipuos quoſque Carthuſiæ Ruremundanæ religioſos, ex illorum conſtat hiſtoria, nuper in lucem prolata; unde nos obiter duntaxat eorundem nomina perſtringemus.

1. P. Joachimus à Thongherloe, Prior iſtius loci, ac Viſitator Provincię Rheni integerrimus, variis affectus contumeliis, atque ingenti pecuniæ ſumma (duobus nimirum aureorum ſeu coronatorum millibus) mulctatus, ſclopetoque ſecundo pectus impetitus, tandem ad ſuos Coloniam appulit: apud quos brevi temporis intervallo mœrore animi confectus expiravit.

2. Joannes *Beren*, Vicarius ibidem, cùm fuga ex hoſtium manibus eſſet elapſus, ſuperfuit uſque ad an. Dom. 1579.

3. VVilhelmus *Mellen*, ſenior domus, graviter vulneratus, ægrè Juliacum confugit: ubi haud longè poſt inter ſuos obiit.

4. Matthias Colonienſis, vir ætate gravis, in limine cellæ à militibus interemptus eſt.

Eraſmus Trajectenſis, dum gradum ad Eccleſiam accelerat, ſcipione nixus, crudeliter eſt transfoſſus.

6. Joannes Trajectenſi captus; atque in brachio vulneratus, graviterque in capite bipenni lęſus, numeratis redimiis, Coloniam divertit.

7. Vincentius ab Herck, Sacriſta, ſeu cuſtos Eccleſiæ, contumelioſè per urbem raptatus, partim ſclopeto traiicitur, partim gladio, vel laqueo interimitur.

8. Joannes Leodienſis, in choro è medio eſt ſublatus, transfoſſo nimirum capite, ac cerebro contuſo.

9. Guilielmus *Mellen*, Oeconomus, vibrata in caput bipenni, ac dein ad monaſterii portam protractus, ibidem glande plumbea eſt trajectus.

10. Leonardus Leodienſis, vulneribus aliquot ſaucius, fuga ſibi conſuluit.

11. Severus N. profeſſus Carthuſiæ Confluentinæ, ac de voluntate Ordinis Ruremundæ commoratus, crudeliter ibidem eſt mactatus.

12. Joannes *Levvis*, in ipſo templi odejo pugione eſt transfixus.

13. Joannes Aſchius, poſt verbera, irriſiones, ac vulnera, lytro eſt redemptus.

14. Nicolaus *Gangelt*, Diaconus, aliquot acceptis vulneribus, conſimili modo evaſit.

15. Henricus *Mellen*, Diaconus, ad gradus ſummi altaris pugione eſt enecatus.

16. Joannes *Greſſenich*, horrendum in modum à dorſo ad pulmonem uſque transfoſſus, ægrè Maſecam appulit, ubi & ſub chirurgorum cura expiravit.

Conversi, Seu Laici, Qui Ibidem varia ſupplicia ſuſtinuerunt.

17. F. Ægidius *Greſſenich*, captus quidem fuit, verùm ad aliorum interceſſionem ereptus.

18. Stephanus janitor, in ipſo primo furenti incurſu immaniter mactatus.

19. Albertus coquus, in lecto æger decumbens, interemptus.

20. Joannes *Gittardt*, piſtor, occiſus.

Quin & eodem an. 1572. Reinerus quidam laicus Carthuſiæ Colonienſis, ex majori Carthuſia domuitionem parans, à prædonibus in itinere lapidum imbre eſt oppreſſus, ac miſerandum in modum enecatus.

Qui verò Calviniana rabie in Hollandia, aut Francia toto iſto bellorum tumultu vel ferro è medio ſunt ſublati, vel in exilium relegati, rebuſque omnibus exuti, accuratius aliquando percenſebitur: hæc nunc paucula è pluribus.

ORDINIS PROPAGATIO, Sive ORIGINES CARTHUSIANORUM MONASTERIORUM.

PROVINCIA GEBENNENSIS.

1. Carthuſia Major, ſita eſt in monte, denſas inter ſilvas, apud Gratianopolim, in Delphinatu, regni Galliæ provincia. Eum locum, donante S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, incolere cœpit S. Bruno, cum ſodalibus ſuis anno Domini 1084. ut in *hiſtoria vitæ ejus legitur, apud Laurentium Sur*. die 6. Octob.

Hujus loci Prior, ſive Præfectus totius Ordinis Carthuſiani princeps eſt, atque anteſignanus. Ibidem generales ordinis conventus quotannis celebrari ſolent.

2. Domus ſive monaſterium Valonis.
3. Domus Angionis.
4. Repauſatorium.
5. Vallis S. Hugonis.
6. Domus Allionis.
7. Pomerium.
8. Domus S. Spiritus, apud Lugdunum, Gallię emporium ad Rhodanum fluvium.
9. Vallis Sancta.
10. Calleſium.
11. Pars Dei.
12. Sanctus Locus de Lancea.
13. Domus Vallis Virtutum. *Catalogus M. S. Bruxellenſis & Petrus Sutor, lib. 2. tract. 3. c. 7.* notant hoc monaſterium fuiſſe ſitum in Scotia.
14. Melamenſe cœnobium, vulgò Melam, eſt monialium.
15. Domus Corteriæ, eſt unita majori Carthuſiæ.

Provincia Comitatus Provinciæ in tractu Maſilienſi.

1. Domus Dubronis, aut *D. Vrbonis*.
2. Mons Rivi.
3. Vallis S. Mariæ.
4. Vernenſe monaſterium, vulgò Verne.
5. Vallis Benedictionis.
6. Vallis Bona.
7. Domus Boni Paſſus.
8. Pratum Molle, monialium.
9. Domus Bertaudi, itidem monialium, eſt unita domui Durbonis.

Provincia Aquitaniæ.

1. Domus Bonæ Fidei.
2. Glanderium.
3. Portus B. Mariæ.
4. Domus S. Crucis, in Iareſio.
5. Vallis Clara.
6. Domus Belli Viſus apud Caſtras.
7. Domus S. Salvatoris, apud Villam-Francam.
8. Cadurcenſe monaſterium, Albiæ Cadurcorum ſitum, primitus Templum equites tenuerunt: ſed iis profligatis, ad Carthuſianos id tranſtulit Joannes XXII. Pont. Max. ante pontificatum Epiſcopus Cadurcorum: uti *Franciſcus Petrarcha, in epiſt. ad Sagramorum equitem* & monachum, & ex eo *Renatus Choppinus, Monaſticon. lib. 2. tit. 1.*

Provincia Cathaloniæ.

1. Scala Dei, Diœceſis Tarraconenſis.
2. Porta Cœli, in regno Valentiæ, eſt fundata ab Andrea Albalato, Archiepiſcopo Valentino, & collegio Canonicorum ejus urbis.
3. Mons Hilaris B. Mariæ, vulgò *Montioly*. diſtat ſecundo miliari à Barcinone, urbe celebri.
4. Vallis Jeſu Chriſti, amœno ad flumen loco eſt ſita, ſecundo lapide à Cæſarauguſta. Inſignis hoc loco Bibliotheca, libris optimis inſtructa viſitur.
5. Domus Jeſu Nazareni, in Majorica inſula, quæ inter Baleares inſulas eſt maxima.

Provincia Caſtellæ.

1. Domus B. Mariæ de Paulari. Apud Segobiam Caſtellę urbem, lanarum artificio celebrem, haud longè à pago *Raſcafria*, Carthuſianorum domicilium, cui Paulari nomen eſt, ipſo ædificii ſplendore, copiis, & loci ſanctitate in Hiſpania celeberrimum, Joannes I. Caſtellæ Rex impenſa ſua excitavit: Obiit is anno 1390.

2. Hiſpalenſis Carthuſia, Hiſpanicè *Las Cuebas*, B. Virg. Matri ſacra, loco amœniſſimo, ad Bætim fluvium ſita eſt, haud longè à muris urbis vulgò *Sevilla* dicitur, Hiſpalenſis; quæ nobiliſſimum eſt emporium, & mercium Indiæ Occidentalis receptaculum longè ampliſſimum. Hoc in monaſterio ſpectantur ſepulchra ducum Alcalæ; quibus & dotem ſuam, ni fallor, debet acceptam.

I. Anajenſis Carthuſia, B. Virginis pariter ſacra, vulgò de *Anaya*, ad Durium fluvium, haud longè à Tordeſilla urbe.

4. Domus S. Mariæ de Miraflores non procul Burgenſi urbe, extructa eſt à Joanne II. Caſtellæ Rege, qui ibidem cum conjuge ſua conditus jacet.
5. Domus Defenſionis B. Mariæ, apud Xerecium.
6. Domus Conceptionis B. Mariæ de Caſalla.
7. Scala Dei, in Portugallia.
8. Aula Dei, in Portugallia. Ex his altera apud Eboram, altera apud Oliſſiponem, Luſitaniæ, ſeu Portugalliæ metropolim eſt ſita.
9. Domus Noſtræ Dominæ de Gratia, in diœceſi Hiſpalenſi, ampliſſimis vectigalibus dotata, Guadaletæ fluvio adjacet.

10. Domus S. Mariæ de Fontibus in diœceſi Oſcenſi, ſic dicta ab ubertate fontium, quibus abundat.
11. Carthuſia Granatenſis, filia Paularenſis monaſterii. Eam namque fundatam ab ipſis Paularenſibus legitur.

Prouincia Burgundiæ.

1. Domus Portarum; fundata eſt temporibus S. Bernardi Abbatis Claræ-Vallis: quod patet ex *Petro Sutore l. 2. de vita Carthuſiana, tract. 3. c. 5. & ex Dorlandi Chronico, l. 4. cap. 9.*
2. Arvariæ.
3. Silva Benedicta.
4. Vallis-Cluſa.
5. Monaſterium Majorevi. Quod unum eſſe ex antiquiſſimis Ordinis cœnobiis conſtat ex *Epiſt. 25. lib. 6. Petri Cluniacenſis Abbatis*, qui vixit tempore D. Bernardi Claravallenſis.
6. Monaſterium Sellionis
7. Bonus Locus, tribus milliaribus à Salmis.
8. Monaſterium Montis Merulæ.
9. Siligniacum, in Sabaudia.
10. Petricaſtrenſis, ſive Petricaſtellenſis Carthuſia, apud Sabaudos notiſſima. Eſt ea fundata ab *Amadeo*, eo nomine ſexto, Sabaudiæ Comite: qui & ordinem Equitum Annuntiationis Angelicæ inſtituit. Pro cujus ſodalitij Equitum ſalute, perpetuæ ad Deum preces in iſta Carthuſia funduntur. Obijt autem *Amadeus*, an. 1383. cum Allobrogibus an. 11. præfuiſſet.
11. Poletenſe monaſterium, virginum.
12. Saletarum itidem monialium.

Provincia Franciæ.

1. Vallis Dei, fundatorem agnoſcit *Rotrodum* Pertici Comitem: teſte *Petro Sutore lib. 1. de vita Carthuſiana, tract. 3. cap. 2. pag. 65.*
2. Luvigniacum.
3. Ligetum.
4. Apponiacum.
5. Domus Belli-Larici.
6. Vallis S. Georgii.
7. Parcum, in diœceſi Cenomanenſi. Fundum extruendo monaſterio, dedit virgo quædam inclyta, ex nobiliſſima Alenconicorum familia; ædificia verò B. *Gaufridus* Cenomanenſis Epiſcopus, ibidē ſepultus excitavit: teſte *Sutor. l. 2. tract. 3. c. 6.*
8. Vallis Viridis, apud Lutetiam Pariſiorum à S. Ludovico Francorum Rege, ejus nominis Nono, excitata eſt in fundo Palatii olim regii, quod *Vauvertum* nuncupabant: *teſte Franciſco Belleforeſtio, in ſua Coſmographia, & Petro Sutore*, citato loco. Spectantur in hoc cœnobio plurimi tumuli procerum cùm ſacri, tum profani ordinis. Solent & loci ejus monachi erga pauperculum vulgus hominum, ſuburbana Lutetiæ incolentium eſſe liberaliſſimi.
9. Baſſa villa.
10. Vallis Profunda.
11. Fons B. Mariæ.
12. Fontanetum, apud Belnenſe oppidum, Ducatus Burgundiæ, à *Guidone* Burgundiæ Duce an. 1352. eſt inſtitutum, ac dotatum, teſte Belleforeſtio citato libro. Hujus tractus vina, vulgò *Belnenſia* nuncupata, apud Francos; & Belgas, ob præſtantiam, maximo ſunt in pretio.
13. Domus B. Mariæ de Pratea, apud Crecas, Campaniæ urbem.
14. Domus SS. Trinitatis, apud Divionem Ducatus Burgundiæ Metropolim. Hoc monaſterium *Philippus Audax*, Burgundiæ Dux, & Flandriæ, per conjugium cum Margarita, unica Ludovici Malani filia, contractum, comes à fundamentis ſuo ære excitavit. Cujus itemque filii *Joannis Diuronenſis*, & nepotis *Philippi Boni*, ex ordine Ducum Burgundiæ tumuli ibidem marmorei viſuntur.
15. Domus Roſæ Noſtræ Dominæ, apud Rothomagum, Normanniæ emporium.
16. Domus SS. Rogatiani & Donatiani, apud Nannetes, in Britannia Armorica, quam hodie Minorem nuncupant.
17. Campus S. Michaelis D. Auray.
18. Domus Bonæ Spei, apud Gallionem.

Provincia Picardiæ.

1. Mons Dei, ad quos D. Bernardus celebre illam de *vita Solitaria* ſcripſit epiſtolam.
2. Vallis S. Petri.
3. Domus B. Mariæ de Macort, in urbe Valencenarum, apud Hannones.
4. Vallis S. Adelgundis, apud Audomaropolim, Arteſiæ urbem. Hujus auctor extitit *Joannes à S. Aldegunde*, Norcarmæ dominus, an. 1198.
5. Domus S. Honorati, apud Abbatis-Villam, Picardiæ oppidum.
6. Mons S. Ludovici, apud Noviomum, Picardiæ urbem Epiſcopalem. Hujus cœnobii exordium, ac dotatio debetur Philippo Galliæ Regi, S. Ludovici Regis filio: ut *in ſua Coſmographia* teſtatur *Belleforeſtius*.
7. Vallis S. Spiritus, apud Goſnajum, haud longè à Bethunia, Arteſiorum oppido. Hoc monaſterium, cum Xenodochio vicino, ſuo ære excitavit, ac vectigalibus annuis donavit *Theod. Heriſſenius*, ex Præpoſito Aerienſi Epiſcopus Atrebatenſis, qui an. 1328. moriens, ibidem in Odejo eſt conditus:
8. Domus B. Mariæ de Prates, apud Monoſtrolium oppidum Picardiæ, in finibus regni Galliæ. De cujus fundatore conſule *Chronicon Dorlandi, lib. 6. c. 28.*
9. Mons S. Andreæ, apud Tornacum, veterem Nerviorum ſedem. De cujus monaſterii initiis idem *Dorlandus in Chron. lib. 6. c. 27.*
10. Mons S. Mariæ, cœnobium monialium, apud Bethuniam in Arteſia.

Provincia Belgii, seu Germaniæ inferioris.

1. Capella B. Mariæ apud Angianum Hannonię oppidum. Quæ quam pręſtantes olim doctrina, ac pietate Viros produxerit, conſule *Corlandum lib. 7. Chronici, cap. 25.* & ſequentibus.

2. Vallis Gratię, apud Brugas, Flandrię olim emporium. toto orbe notiſſimum, fundata eſt an. 1318. teſte *Jacobo Meyero in Annal Flandriæ.*

3. Domus S. Catharinę, in Lirano Brabantię oppido. Stetit hoc monaſterium olim ad muros urbis Antuerpienſis, eo ferè loco, quo nunc arx viſitur à *Ferdinando Alvero*, Albę duce, Belgiique Gubernatore an. 1567. excitata. Sed bello Geldro-Gallico, cui *Mart. Roſſemius* contra *Carol.* 5. Imp. pręfuit, cùm Antuerpiana ędificia in cineres concidiſſent, monachi novum Lirę cœnobium exędificarunt. Cęterùm Carthuſię Antuerpianę dotator primarius fuit *Gratianus*, Belgicę, *Dancardus Molenerius*, civis Antuerpienſis: vir admodum dives, de quo fusè *Dolandus in Chronico ſuo lib. 6. cap. 30. pag. 372.*

4. Silvę S. Martini, apud Gerardi Montem, Flandrię oppidum.

5. Domus Montis S. Gertrudis, apud ejuſdem nominis oppidum in Hollandię, & Brabantię confinibus ſitum, conditorem agnoſcit Guilielmum Duvevordium, nobiliſſima apud Batavos familia natum, & Oſterhauti Dominum. Floruit is an. XI. 1353. fuitque in magna apud Belgarum Principes gratia. Idem cùm liberis careret, opes ſuas in alterius inſuper monaſterii ędificationem piiſſimè impendit: quod eſt monialium ordinis S. Clarę, olim extra muros urbis Bruxellenſis, nunc intra muros ſitum, eo ipſo loco, quo fratres Hieronymiani, patrum memoria, cœnobium & Gymnaſium habuerunt. Cęterùm Duvevordius in veteri iſto S. Clarę monaſterio, extra muros urbis, honorificè conditus fuit: cujus tumulum unà cum monaſterio civilia apud nos bella exciderunt.

6. Domus S. Mariæ, vulgò *Monnickhuiſſen*, apud Arnhemum, Geldriæ metropolim. Cœnobium iſtud condidere Rainaldus I. Geldriæ Dux, & uxor ejus Eleonora, Duardi Anglię Regis filia: teſte Henrico Aquilo in Geldriæ chronico. Cauſam fundationis lege apud *Dorlandum in Chronico Carthuſiano lib. 6. cap. 22. pag. 364.*

Obiit autem Rainaldus an. 1343. cùm annis XVII. præfuiſſet. Fuit hoc monaſterium multorum olim Geldriæ Ducum tumulis nobile, quos Calviniana rabies, pro ſectæ ingenio, noſtra ætate violavit, funditusque excidit.

7. Mons S. Joannis Baptiſtæ, in Zelemenſi vico apud Diſtemium Brabantiæ oppidum. Hujus cœnobii anno Chriſti M. CCC. XXVIII. Auctor fuit Gerardus Toparcha Dieſtenſis, & Caſtellanus Antuerpienſis, ejuſque conjus Joanna à Flandria, Comitis Loſſenſis filia. Hic vixit, & obiit an. Chriſti 1507. ætatis 53. Petrus Corlandus, qui præter Chronicon Carthuſianum, multa alia ſcripſit Eccleſiæ utilia: uti videre licet in *Bibliotb. Carthuſiana F. Theodori Petrei Carthuſiani*, Moderatur nunc hanc eandem Carthuſiã P. Theodorus Stumpuvychius, natione Batavus; ſingularis induſtriæ, ac pietatis Vir.

8. Vallis Regalis apud Gandavũ, Flandriæ urbem primariam, & maximam. Quæ quidem Domus primùm cœpta eſt

conſtrui anno Dom. 1320. Incorporata verò eſt Ordini an-
A no iſtius ſæculi 28. Quo tempore extitit Canonicus quidam Eccleſiæ S. Donatiani Brugis, D. Villebaerd, qui ſuo ære locum illum, ubi Carthuſia conſtructa eſt, cum vicinis aliquot prædijs, comparavit. Quæ deinde Ludovicus Flandriç Comes cum uxore ſua, ac filio ab omni ſervitio, ac debito exemit. Itaq; hi fuere quaſi primi Carthuſię hujus fundatores. Fuit autem primus hujus loci Prior Michael Cœlian, qui cùm eſſet in ſæculo magnarum opum, vir, ac prędives, amore ſolitudinis accenſus, mundo nuntium remiſit, plurimaq; è ſua ſubſtantia domui contulit. Cui demortuo ſucceſſit Joannes N. Poſt quē D. Guilielmus de VVarnvvyck regimē ſuſcepit, nepos nimirū generoſi ac nobilis viri D. Gulielmi de VVarnevvyck; Qui cùm non haberet liberos, in gratiam nepotis ſui, omnium bonorum ſuorum immobilium, quæ in Haſſelt (eſt hoc inſigne prædium haud procùl à Gādavo) ſita ſunt, Carthuſianos Gandenſes conſtituit hæredes: permotus, ut fertur, inſtinctu divino: occaſione nimirum virtutis, humilitatis, & patientiæ laici cujuſdam iſtius ejuſdem Conventus, ex eorum genere, quos Converſos nuncupant. Qui cùm quodam tempore ſpicas legeret, & fortè in proximè adjacētem agrum, qui prædicti no-
B bilis erat imprudens incidiſſet, illicque, quaſi in Conventus ſui fūdo, nonnullas colligere ariſtas inciperet. VVarnevvyckius id conſpicatus, indignabundus actutum accurrit, hominique inſignem alapam inflixit. Qui id patientiſſimè tolerans, veniam inſuper demiſsè precatur: ignoſci ſibi poſtulās, quod Inſcius peccaſſet. Quo patientiæ exemplo ita commotus eſt animus Generoſi viri, ut in ſequenti nocte ſomnum haudquaquam capere potuerit, correptus nimirum horrore quodam terribili, adeò ut ſe illicò expiraturum crederet. Vnde prima aurora Carthuſiam adiens, Priorem interpellat, exponit quid pridie cum laico crudeliter egerit, atque in pœnitudinis ſignum terras ſuas omnes Ordinis ſuapte ſponte offert.

Dein erat & aliud quoddam prædium, Monaſterio propinquum, & domicilium alterius cujuſdam viri nobilis, qui dum intempeſtæ noctis ſilentio cum uxore in lecto decumberet, atque inde Carthuſianorum cantum (erat illorum Eccleſia vicina admodum) exaudiret, ſingulari In Deum amore inflammatus: En inquit ad uxorem, quàm alacriter boni iſti religioſi divinas concinunt laudes, veluti Angeli quidam cœleſtes, cùm interim nos molli decubantes lecto, otioſi
C conquieſcimus. Quidni prædium hoc noſtrum viris iſtis religioſis, cœleſtem in terris vitam degentibus, offerimus: quatenus aliquando nos ſecum recipiant in æterna tabernacula, cùm ſint cives Sanctorum, & domeſtici Dei? Dictum, factum. Neque hic ſtetit res, quin & Gandavenſis Magiſtratus pia conventualium converſione inflammatus, ex ærario ſuo tres ibidem conſtruxit cellas, & complures alijs utriuſque ſexus poſſeſſiones ſuas, agros, ac prædia, in Monaſterij ejuſdem uſum libentes contulerunt.

Floruere autem in inſigni hoc Cœnobio duo præſtantis eruditionis viri, quorum unus fuit Goſvvinus de Beck, qui an. Dom. 1417. Priorem ibidem egit, ac primarium Provinciæ Viſitatorem: de quo latius in *Carthuſiana* legitur *Bibliotheca*. Alter verò Guilielmus Bibautius: qui cùm eſſet iſtius loci alumnus ac Præfectus, magnaque polleret rerum agendarum prudentia: tandem an. Dom. 1521. in totius Ordinis Generalem eſt cooptatus. Verùm eheu in iſta miſeranda Belgij clade, quæ anno poſt Chriſtum 1566. atrociter deſævijt, celeberrima hæc Carthuſia rebus ferè omnibus ab hæreticis ſpoliata eſt, ac tandem etiam an. 1576. tum ab his, tum ab
D illis uſque adeò in cinere redacta, ut modo vix ullum veteris ædificii extet monumentum. Quæ res ſuperiores impulit, ut an. 1584. in ipſa Gandenſi urbe quietiorem commorandi locum à Senatu expetierint, impetrarintque. Qui quidem novo indito nomine, domus S. Brunonis in eremo, hoc tempore vocitatur. Cujus nouum ambitum, ſeu clauſtrum majus, cellaſque ad formam ordinis N.P. Arnoldus Havenſius, modernus Carthuſiæ Prior, coaptare ſtudet: Vir nimirum, de quo ignores, doctiorne ſit, an humilior: morum gravitate præſtantior, an animi tranquillitate hilarior: certat enim ſingularis illius prudentia cum admiranda ſimplicitate, fervor orationis cum operibus charitatis: adeò ut benefaciendi ſtudio, ſcriptionis laude exteris etiam, non ſuis tantùm amori ſit, ac honori.

9. Domus omniū Apoſtolorum, apud Ludovicum, inſignē Eburonū Urbem, in monte Cornelio, initia ſua debet Engelberto de Marcka. XLVII. iſtius loci Epiſcopo, nec non & opulentiſſimo civi Joan. de Brabantia, Scabino Leodienſi, qui ampliſſimos huic monaſterio redditus annuatim adſignavit. Cujus fundamenta jacta ſunt circa ann. Dom. 1357. cœpitque E
Ordini incorporari 4. anno poſt. Nam in capitulo Generali, ſub P. Heliſario (fuit hic 23. Generalis, obijtque an. 1367.) majori in Carthuſia an 1360. celebrato, primus Conventui huic Prior adſignatus eſt P. Bertrandus profeſſus Carthuſiæ Pariſienſis. Quo cum tres alij ex majori Carthuſia ſimul miſſi fuere. Quorum primus vocabatur Bartholomæus, profeſſus nimirum domus Amhemienſis: alter, Joannes militis: tertius, Adamus N. uterque filius Abbatis Villæ in Picardia.

Vixere autem hoc in loco primitus Canonici regulares Ordinis Præmonſtratenſis, qui nunc intra muros urbis Leodicenſis degunt, in loco, quem Bellum reditum nuncupant. Cæterum in Carthuſia Leodicenſi eſt inſignis Bibliotheca, vetuſtis manuſcriptis codicibus bellè inſtructa: atque inter cæterà extant manuſcripta opera omnia Jacobi Vitriaci Cardinalis, tomis aliquot comprehenſa.

10. Domus Novæ Lucis B. Salvatoris, apud Ultrajectum, urbem apud Batavos Archiepiſcopali cathedra illuſtrem. Ex monumentis iſtius loci conſtat an. 1392. Suedorum, Gasbecæ, Putri, & Stryæ Dominum, agros ampliſſimos in Stryenſi tracta, loci hujus Monachis contuliſſe: Alberto Hollan- F
diæ, Zelandiæque Comite, ac filio ejus natu majore Guilielmo approbantibus. Porrò Monaſterii hujus ruinæ vix hac tempeſtate viſuntur ampliùs; adeò ſæva Caluini rabies Deo dicata domicilia è medio ſuſtulit.

11. Portus Salutis S. Andreæ, apud Amſtelrodamum Hollandiæ emporium, mercatu potius quàm religione celebre.

12. Mons Sion, apud Zirizæam, Zelandiæ oppidum: cujus ne ruinæ quidem hac tempeſtate extant.

13. Domus Noſtræ Dominæ de Gratia, olim extra Bruxellam, Brabantiæ urbem regiam, loco peramœno ſita, ſed bellis iſtis civilibus funditus everſa. Noſtra autem memoria eſt intra muros Urbis magnificè ædificata, magiſque indies adſurgit: Porrò monaſterio ſacellum adhæret, D. Virginis cultu celebre, quod ingenti ſæcularium hominum frequentia viſitur.

14. Monaſterium S. Bartholomæi, apud Delfos Hollandiæ oppidum, nunc in cineres, flammaſque redactum.

15. Domus S. Sophiæ, apud Sylvam ducis, Brabantiæ ur- G
bem, militari populo nobilem. Ad cujus monaſterij conſtructionem cum D. Ludolphus van VVaeter, Buſcoducenſis Eccleſiæ Canonicus, aliique nonnulli cives diverſas contuliſſent eleemoſynas, licèt inſufficientes, tandem ſtrenuus miles, ac generoſus D. Arnoldus de Helaer, & D. Adelheidis Picks ejus uxor, ambo natione Sicambri, liberali ſua donatione id effecere; ut in loco, qui Vucht etiamnum dicitur, haud procul ab urbe cœnobium in honorem Templi Conſtantinopolitani, S. Sophiæ, recenter tunc à Turcis occupati, ac profanati, conderetur. Verùm enimverò, quia ad talem Monaſterij erectionem conſenſus Ducis Brabantiæ neceſſariò requirebatur, hinc placuit Seren, Burgundiæ, juxta ac Brabantiæ Duci Carolo Audaci, per patentes literas anno 1471. in ejuſdem erectionem conſentire, & ſemetipſum principalem loci benefactorum ultrò offerre. Cujus tamen infelici atque immutato interitu plus ſpei quam rei Carthuſiani Patres conſecuti ſunt. Porrò primus loci hujus moderator ſeu Rector fuit eximius ille Extaticus Doctor, Dionyſius Rickelius. Cui ſucceſſit Jo: de Monte. Præfuit autem iſti loco an. Do. 1480. Henricus, cognomento Prudens, qui ibid. fatis conceſſit. an. 1484. Eſt ergo hæç Carthuſia fundata, atque Ordini incorporata circa an. H
Dom. 1466. nunc verò in urbem translata.

16. Domus S. Martini, in Mōte Solis, apud Campos inſignē Tranſiſelanię, urbē, nunc penitus quoq; eſt diruta, atq; ex fundamento exciſa, nedū eruderata. Adeò ut poſtremus loci iſtius Prior P. Arnold. N. rębus adhuc ſtantibus, ac mediocriter iſtic florentibus, nō ſine veri pręſentione, ac quodā divini numinis afflatu, paulò ante obitū lecto circunſtantes identidē interpretaverit: ut duplo profundius in terram eū defoderēt, quā communis habet conſuetudo. Futurū n. ut demortua religioſorum Fratrum corpora, etiā vomere tandē aliquando proſcinderentur. Quod vaticiniū equidem, ſeu præſentionem, rei probavit eventus. Sunt namque ſaxa ſepulchralia in urbem translata, ſanctiſſimorum Patrum monumenta violata, pietatis domicilia everſa, ipſumque ſuſcipiendæ pulchritudinis templum, non minus quàm cęmeterium in Ceteris uſum redactum.

17. Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ ſub cruce, in urbe Lonanienſi, ædificari cœptum eſt an. 1486. Varii varias cellas dederunt: inter eos eminet Joann. Overhovius, Antuerpienſis,

Naſſoviæ gentis Quæſtor: Margarita, Eduardi Angliæ Regis
A ſoror, Caroli Audaics, Burgundię, Brabātięque Ducis vidua, & Maria Magdalena Hamalia, vidua item Guilielmi Croy, Marchionis Arſchotani: quæ & Heverlenſe Cœleſtinorum extra muros Lovanienſes cœnobium, à marito inchoatum perfecit. Cæterùm in Carthuſia Lovanienſi ſpectabilis eſt porticus magnitudine, & opere: nec aliam facilè inveniens huic comparandam. Lege *Juſti Lipſii Lovanium l. 2. cap.* 18.

18. Domus S. Annæ, apud Brugas Flandriæ urbem, mercatu olim nobiliſſimam. Iſtud monialiū cœnobiū, an. Chriſti 1363. ſuo ęre ædificandū curavit Balduinus Voſſius, ditiſſimus mercator Brugēſis: teſtibus *Meyero in Annalibus Flādrię, & Dorlādo in Chron. l. 6. c. 33. p. 376.* Quorū poſterior addit, Balduini filiā Mariā hic Prioriſſę, ut vocāt, munus laudabiliter obiviſſe.

19 Domus Mechlinienſis, in qua hac tēpeſtate degunt Patres aliquot Angli, extorres è ſolo patrio, viri nimirum eximiè pii: quibus Rex Hiſpaniarum de neceſſariis annuatim providet,

Provincia Angliæ.

1. Monaſterium VVithamenſe.
2. Locus Dei Hentonienſis.
B 3. Bella Vallis, apud Nothingam.
4. Monaſterium Salutationis B. Mariæ, apud Londinum, regni Angliæ metropolim. Fundavit id an. 1371. Gualterus Mainius Belga, patria Cameracenſis: quem ob fidelem operam militantem in Vaſconia adversùs Gallos præſtitam, Eduardus III. Angliæ Rex, Garterii ut vocant, ordinis Equitem crearat.

De Carthuſianis Londinenſibus ab Henrico VIII. Angliæ Rege ob conſtantem religionis orthodoxæ profeſſionem, varii ampliſſimè ſcripſerunt: ad quos Lectorem remittimus. Maximè verò ad hiſtoricam relationem Mauritii Chancæi, oculati nimirum teſtis, qui horum pars magna fuit; quam nuper recenſitam, impreſſit Bernard. Gualtherius, civis, ac Bibliopola Colonienſis.

5. Domus S. Michaelis in Hul, apud Kingeſtonum.
6. Domus S. Annæ, apud Conventriam.
7. Domus Aſſumptionis B. Mariæ, in monte Gratiæ.
8. Domus Jeſu de Bethlehem, apud Scheinam.
9. Domus Viſitationis B. Mariæ, de Auxiolme.

Hæc, & alia innumerabilia Anglię monaſteria, Patrum memoria hereticorum furor, proh dolor! evertit. Sūt tamen hodie
C variis in provinciis Angli, religioſis ordinibus adſcripti. Inter alios non pauci ſunt Mechliniæ apud Brabantos, Carthuſianę vitæ genus amplexi: ſacræ apud Britannos propaginis fœcundum ſemen aliquando futurum.

Provincia Alemaniæ Svperioris.

1. Vallis S. Joannis in Seitz, apud Ciliam Slavonię oppidū: cui olim præfuit Stephanus Senenſis, qui annis aliquot à manibus fuit ſanctiſſimę Virg. Catharinę Senenſi, quippe in publicis generalis capituli Comitiis, an. D. M. CCCC. X. celebratis, Generalatu ſponte ſua ſeſe abdicavit, ſua utique cum laude, atque Ord. bono. Nunc hæc eadem Carthuſia regitur à D. Viano Grunello; Provinciæ iſtius Viſitatore perquam eximio, induſtrio, atque in arduis procurandis negotiis probè exercitato.

2. Vallis S. Mauritii, in Gyrio, in Slavonia.

3. Vallis Jocoſa, in Carniola, in Freniz, Slavoniæ pago, putatur fundata circa ann. Dom. M. CCC.

4. Lapis Refugij, in Hungaria, eodem fermè tempore erectus dicitur, quo & ſuperior.

5. Vallis Omnium Sāctorum in Maurbach, tertiò à Vien-
D na, Auſtrię metropoli, lapide, fundatorem agnoſcit Fridericū Pulchrum, Alberti Imperatoris filium, qui cùm ſolitudinis amans, iſtic aliquamdiu quietè vixiſſet, tandē etiam poſt mortem, quam an. Dom. M. CCC. XXX. oppetiit, ibid. eſt humatus. Fuit olim duplici porticu inſignis, ac proventibus largis clariſſima: ante annos verò octoginta, cùm Solimannus Turcarum Imperator Viennam ingenti cum exercitu obſidione cingeret, magnas perpeſſa clades, interitui ferè obnoxia, nonnullos è gremio ſuo perdidit: adeò ut plerique eorum Turcica barbarie trucidati, Martyrii palmam promeruerint: è quibus fuere D. Sigiſmundus, Modeſtus, Erhardus, ac Sebaſtianus: quorum duo poſteriores laici.

6. Vallis ſancti Antonij, apud Legniz in Hungaria, Poloniam verſus, quæ circa ann. Dom. M. CCC. fundata putatur.

7. Mons Omnium Angelorum, in Snals, Tirolenſi Comitatu, Henricum Bohemiæ, ac Poloniæ Regem, Carinthiæ Ducem, fundatorem habuit, Circa an Dom. 1326. Qui tamen jā unà cum domo Ittingenſi de mandato Capituli Generalis, Franconiæ incorporatus eſt Provinciæ. Eſt in altiſſimis montibus, rupibuſque inacceſſio, aliquot horarum ſpatio vix per- E
nia; adeò ut ſit locus horroris, ac vaſtæ ſolitudinis.

8. Vallis Auxilij in Tarckan, in Hungaria apud * Agicum: quam nonnulli poſt an. D. M. CCC. cōſtructa fuiſſe autumant.

9. Thronus B. Mariæ Virginis in Gennico, Auſtriæ pago, ædificiorum ſplendore, atque opū magnitudine cæteras iſtius loci Carthuſias longè poſt ſe relinquens. Quippe quæ fundatorem habuit Albertū Auſtriæ Ducem Romanorū Regem, quem fata hinc an M. CCC. LXIII. eripuere: eſtque unà cū thori ſui conſorte Domina Joanna, ſorore nimirum Regis Bohemiæ, ac Poloniæ, eodem in tumulo, ibidem humatus.

10. Vallis S. Michaelis in Levvl, in Hungaria, circa annum Dom. 1350. conſtructa perhibetur.

11. Domus SS. Trinitatis apud Brunam, nō incelebre Moraviæ oppidum, eadem ferè tempeſtate conſtructa exiſtimatur.

12. Porta B. Mariæ, in Axpach ſupra Danubiū, in Auſtraſia, de cujus admiranda conſtructione conſule *Chronic. Dorlandi. l. 6. c.* 20 Sunt, qui adfirment circa an. Dom. 1400. Ordini incorporatum: habet autem viſendæ pulchritudinis porticum. F

13. Vallis Joſaphat, apud Olomotium, Epiſcopalem Moraviæ urbem, bis terve Ziſckæ, & aliorum ſeditionibus, ſuis mota ſedibus, nunc in ipſum Olomucenſe oppidum eſt tranſlata.

14 Domus Throni SS. Trinitatis, in Pletriarch Slavoniæ vico apud Ciliciam, fundata eſt ab illuſtri, ac Magnifico Viro, D. Hermanno, Ciliæ ac Sagoniæ Comite, qui diem obiit ſuum an. Dom. M. CCCC. XXXVI. Cœpta verò eſt ędificari circa annū poſt Chriſtum natum M. CCCC. XXX. Verùm & mihi perſuadeo candem à Carthuſianis Patribus etiamnum inhabitari.

15. Domus S Laurentij in Itinga, Helvetiæ pago, juſſu ſancti Senis Apoſtolicę an. 1461. ordini Carthuſiano adſignata tandem an. XCVI. ſæculi nuper elapſi, Franconicæ ſociata eſt Provinciæ.

19. Hurtus B. Mariæ propè Pragam. De quo ita *Georgius Bartholdus Pōtanus in ſuccincta Bohemiæ hiſtoria*, quæ apud Claudium Martinum an. 1608. prodiit, Henricus VI. Imperator habuit filium Joannem, cæcum nomine: quem Bohemis præfecit. Qui religione tactus, miratuſque aſperam Cartuſianorum vitam, per quam corpora caſtigarent, & in poteſtatem ſuam redigerent, Carthuſianos nunquam anteà in Bohemia viſos, Pragam, condito illis templo, & bene dotato, addu-
xit. Cæterum Ziska cœpit populum an. 1306. contra VVen- G
ceslaum Regem ita concitare, ut monaſteriū Carthuſienſe à Joanne cæco ſplendidè erectum ſpoliarent, flammiſq; exurerent, & undecim ex ijs viros religioſos, probos, & ſenes ſertis ſpineis coronarent, atque illuſos in civitatis antiquæ cuſtodiam ducerent, ſaltante coram illis quodam laico Marſick nomine. Carthuſianorum autem unus poſt preces ſuas ſingulis noctibus (licet optimè cuſtoditus) evanuit. Porrò quis, qualiſve Ziſcka ille fuerit, jam nunc operæ pretium eſt, ex Antonij Bonfinii decadibus commemorare. Poſt VVenceslai mortem, quidā, inquit, Joannes Ziſcika emerſit, haud ignobili genere, Troſnoviæ ortus, vir tenui cultu, in aula à pueritia educatus, bello impiger, ac ſtrenuus, altero captus oculo, quē per certamen amiſerat: item ei ferox ingenium, & indomita rapinarum libido inerat. Is Huſſitarum contagione infectus, coacta ſacrilegorum manu, in templa fecit impetum: comminuit Divorum ſimulacra, Chriſti optimi Maximi fregit imagines, Carthuſienſium cœnobium, vetuſtum quidem, & mirabili opere conſtructum, diripuit, ſuccenditque. Hæc Bonfinius ad H
annum Domini 1399. Interim tamen reparatum quidem eſt, ac Carthuſienſi Ordini redditum, verum jam hoc tempore ad manus hominum ſæcularium devolutum.

Provincia Alemanniæ Inferioris, quæ & Franconia vulgò nuncupatur.

1. Nova Cella in Grunnavv, propè Vyertheim in Franconia, quinto fermè à VViteeburgo lapide, primum fundatorem circa annum Dom. 1348. recolit Illuſtr. Comitem à VVyertheim. Aucta tamen plurimum temporis progreſſu prædiis optimis, ac largo proventu novitiorum quorundam, qui illic Divino numini famulantes, ſe, ſuaſque facultates omnes loco huic in perpetuum adſignavere. Paſſa eſt, ingentem revera cladem, circa annum Dom. 1550. quando plerique Lutheranorum Principes Paſſavienſem diætam, in iſto ferè regionis tractu, inſtituere.

2. Cella Salutis, in Tuchelhauſen, tribus ab Hèrbipoli mil-